






1
6
529











FORTVNII LICETI GENVENSIS

IN PATAVINO LYCEO PHYSIOLOGI ORDINARII

De Anima subiecto corpori nil tribuente,

Deque Seminis Vita, & Efficientia primaria in formatione Fœtus.

Liber Vnus;

In quo respondetur oppositionibus Ant. Ponce Sanctacrucij, Primarij Vallisoletani, Archiatri Regis Catholici.

Ad Illustrissimum, & Excellentissimum D. D.

IOANNEM AMVLIVM

Senatorem Venetum.



Patauij. Typis Varisci Variscij ad Puteum Pictum.

Vtriusque fori Permissu. MDCXXXI.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

IOANNI AMVLIO

Inclyto Senatori Veneto.

Fortunius Licetus S. P.



QVum interpretetur Neptunum in Cratylo quidem Plato Deum multa noscẽtem; ex Platonis autem Critia *a* Ficinus Naturalem prouidentiam; *b* Arnobius vero salutaria & fida consilia suggerentem; adeoque *c* Liuius ante *d* Gyraldum, & alios, *e* Romuli Cõsum, cõsiliorumue Numen; Donatus autem apud *f* Lilium, Mediatorem cælestium atque terrestrium; Marcus denique *g* Tullius ex Chrysippo, Spiritum per vniuersam aquarum molem diffusum, qui elementi anima, seu pars animæ mundanæ, Diuinaque Mens aquas à corruptione præseruat: Quumque Neptuno eidem, tot nominibus inter Antiquiorum numina culto, veteres passim equum, belli præcipuum instrumentum atque ministrum consecrauerint: Iure merito meum hoc opus De Anima subiecto corpori nil tribuente, Deque seminis vita, & efficientia primaria in formatione fœtus, continens litterariam concertationem cum Archiatro Regio, à me Tibi dicandum fuit (*IOANNES AMVLI*, Senatorũ optime). Te namque Neptunũ alterum, hoc est, multiscĩu inter homines, prouidentia consilioque mire pollentem quum agnouerit augustissimus ille censor ingeniorum, penes quem vniuersæ Reipublicæ viget autoritas atque Maie-

a *in argum.*
b *3. adu. Gent.*
c *lib. 1.*
d *Syntag. 5.*
e *Augustin. Cyprian. Ausoni.*
f *Synt. 5. Deor.*
g *1. de nat. Deor.*

ſtas, Venetorum Procerum ſupremus Ordo, noſtri ſeculi Romulus, & myſticus Adriæ Iuppiter, Eumdem Te generoſum alumnum ſibi Conſum, Iouemque *h* ſecundum, ac inter Principem & ſubditos mediatorem elegit, veluti ſpiritum quemdam æthereum, cuius prudentia iuſtitiaque ſinguli celſiores almæ Patriæ Magiſtratus egregie gererentur, & mare Magnum Dominij Veneti ab omni labe præſeruaretur. Nos itaque præcelſi Ordinis illius iudicium ſuſpicientes, maximamque Tuam ſapientiam, & multiplicem virtutem, vetuſtiſſimæ ac Heroicæ Tuæ Gentis *AMVLIAE*, decora miris modis adaugentem, nunquam non admiratione proſequentes, Donarium hoc tholo templi Tuæ gloriæ nunc ſuſpendere voluimus; ſperantes Te, litterariæ rei cultorem & patronum eximium, contemplationem hanc meam non aſpernaturum, munerisque mei paruitatem minime contempturum. Tua ergo benignitate confiſus, egregie Vir, non ſum veritus hanc meam diſceptationem Illuſtriſſimo Tuo Nomini nuncupare; non ſolum ab ingenti tuarum virtutum ac dignitatum luce meo libello ſplendorem non exiguum aucupaturus; meque tali munere tuam in clientelam commendaturus; verum etiam vt hoc publico monumento me tibi memorem exhiberem beneficiorum, quibus olim me cumulaſti; quorum illud habeo præcipuum, quod me ſuperioribos annis vna cum pleriſque viris doctiſſimis valetudini tuæ conſultum volueris; dum thoro decumbens altero crure grauiſſime ſaucius, vlcere ſæuiſſimos dolores & à ſe ciente, & à Chirurgi digitis perpetiente, non, vt *i* Philoctetes ille Pœantius, *K* clamoribus omnia complebas; at premens immanem corde dolorem, animo forti mireque pacato cruciatus inter acerbiſſimos hiſtoriam ægritudinis tuæ longiorem adeo diſtincte ſapienter ac eleganter Medicis aſſidentibus expoſuiſti, vt Medicus peritiſſimus eam melius delineare non potuiſset: Et quum ignis importunam ſæuitiam vlceri nec malignitatis vllas notas habenti, nec ſanguinis contumacem

h *Gyrald. ſynt. 5. ex Stat.*

i *Sophocl.*

k *Philoſtr. in Icon.*

efflu-

effluxum ex vena vel arteria prorſus vlla pereſa patienti, propoſitam ab alio Medico reprobaſsem; mitioribus remedijs acceſendam ſanitatem conſulens; mea conſilia tibi ſalutaria poſtmodum expertus Herus & Heros exinde me benigne ſemper excepiſti. Vale, Venetæ Politico phœnicis ornamentum, præſidiumque ac dulce decus meum.

Patauij. MDCXXXI.

Appro-

Præsens Excellentiss. D. Fortunij Liceti Genuensis in Patauino Gymnasio Philosophiam ordinariam profitentis opus cū sanam eamque singularem doctrinam contineat, nihilque S. R. Ecclesiæ, morum probitati, Principumque decretis aduersari cognouerim, vidi & approbaui: cuius initiū est, *Veritatis amor*, Terminus vero, *Protomedicum Generalem*. fol. 21.

Fr. Io: Paulus Sans. Art. & S. Theol. D. & S. Inquisit. Pat. Vic. & Com. Generàlis.

1629. a 22. Febraro.

Faccio fede io infrascritto, che nel libro intitolato, *De Anima subiecto corpori*, in fo. scritta di car. 21. Autore Fortunio Liceto, comincia, *Veritatis Amor*, finisce, *Protomedicum Generalem*, non ho trouato alcuna cosa contra Prencipi, e buoni costumi; lo giudico però degno di stampa. *Gio: Ambroso Sarotti Secret.*

Noi Reformatori del Studio di Padoa.

Hauendo hauuto fede dal Reu. Cōmissario del Santo Offit. che nel libro intitolato, *De Anima subiecto corpori*. Auctore Fortunio Liceto, non vi è cosa contra la S. Fede Catolica: Et similmente fede del circ: Secr. del Senato Gio: Amb. Sarotti, che nel ditto libro non vi è cosa contra Prencipi, ò buoni costumi; concediamo licenza che possi esser stampato in questa Città, ò in altro luoco del Dominio. Con conditione che non sia venduto, se prima non sarà presentato vno nella Libraria publica, giusta la parte del Senato di 2. Decembre 1622.

Reuista 25. Febraro 1629.

{
{
{ *Domenico Molino Reformator.*

Giulio Priuli Secret.

INDEX CAPITVM.

Vnde,

FORTV-

FORTVNII LICETI
AD SVVM LIBRVM
De Anima ſubiecto corpori nihil tribuente,
Atque
De Seminis primaria efficientia, & vita.

PRÆFATIO
Scribendi occaſionem aperiens.



Eritatis amor, cui à viro Philoſopho ſemper eſſe litandum edocuit nos *a* Ariſtoteles, nunc me Bacchanalibus otijs hiſce breuiſſimis ad horas aliquot defenſioni mei dogmatis, quod ab Archiatro Catholici Regis accuſatum & audio, & video, dicandas compellit. Quum enim ſuperioribus *b* annis in opere De Spontaneo viuentium ortu, maximum præcipuumque fundamentum omnium dicendorum de cauſſa effectrice proxima Spontaneæ generationis animantium iecíſſem, ac pluribus rationibus confirmaſſem, Formam in materia quandoque reperiri, nihil ſubiecto tribuentem; Animamque vegetalem ac ſentientem in corpore diutius exiſtere poſſe velut in vaſe, nihil ad ipſum conferentes, neque per ſe, neque per accidens: Nouiſſime tamẽ ab Amicis audiui, ac ipſemet etiam vidi placitum hoc meum falſitatis inſimulari, ac veluti neruis Philoſophiæ deſtitutum repudiari. Qua quidem accuſatione perlecta, quum animaduerterem in ea tum pleraque nobis adſcribi, quæ nunquam in mentem, nedum ſub ſtylo mihi venere; tum etiam illa contra meum dogma proponi, quæ nihil ipſum attingunt, at placitum longe diuerſum, cui nuſquam aſſenſum dedi, ſed potius in alijs meis operibus apertiſſime contradixi: propterea fideliter in hac diſſertatione relatis, quæcumque meo theoremati videtur obijcere Clariſſimus æuo noſtro Sanctacrucius; illius viri placita nunc ſigillatim ad examen reuocare, meamque ſententiam rationibus ex Ariſtotelis doctrina, adeoque ex rei natura munitam, & veritati maxime conſentaneam demonſtrare decreui.

a 1. *Ethic. cap. 6.* 2. *Meta. t. 3.*

b 1618.

Accuſatio Sanctacrucij producitur, ex eius opuſculo verbis ipſiſſimis huc tranſlata. Cap. I.

INclytus Antonius Ponce Sanctacrucius, olim primarius Valliſoletanus, nunc autem a Cubiculo Philippi Quarti Regis Hiſpaniarum &

Indiarum, & Protomedicus generalis, in opuſculo ſuo, cui titulum fecit, *De Hippocratica Philoſophia, ſiue De his quæ phyſice ſcribuntur in Hippocrat.* (quod vere cõmentarius eſt libri primi de Diæta) dum Thomæ Fieni ſententiam de Formatione Fætus exagitat; meum theorema, quod opinioni Fienicæ ſuffragari ſuſpicatur, in fine ſuæ primæ *a* Digreſſionis deſtruere conatur his verbis.

a pag. 67. col. 1.

Sanctacrvcivs. Sed poſtquam docuerimus, Animam rationalem „ non fabricare ſuam materiam, neque antecedere; exibit ſtatim Fortunius „ Licetus, dicens bene poſſe aliquam formam eſſe in materia nil illi tribuen- „ tem (eritque ibi forma reſpiciens quo pacto omnia ſuo placito diſponan- „ tur, ſolidentur fundamenta, erigantur parietes, aperiantur feneſtræ, va- „ cuitates peruiæ fiant, ſpatia ſpiritui dilatentur) ſufficereq; vt ipſa famulas „ virtutes contempletur aſſiſtens, vt neque errent, neque deſiſtant ab opere; „ hoc enim ſolet efficere princeps aſſiſtens ſola præſentia. Sed omnia ſunt „ falſa, & ſine neruis Philoſophiæ; quia ſine particulari miraculo non poteſt „ fieri, vt anima, aut aliqua forma naturalis aſſiſtat, non tribuens materiæ „ ſuum actum formalem: Quæ omnia inferius magis clareſcent. „

Inferius autem nihil aliud efficit vir doctiſſimus, niſi quod contra Fienum oſtendere conatur tum *b* ſemen continere actiua principia parentum, vt eorum inſtrumentum: tum, *c* Non eſſe poſſibile animam rationalem, aut formatricem efficere ſimilitudinem natorum ad parentes, inſpiciendo ſimulacra ſeminis: tum, *d* organizationem præcedere animæ rationali: tum, *e* vnamquamque ſpeciem formarum ſubſtantialium determinare ſibi figuram, & conformationem peculiarem; viuentiaque per ſe, & proprie expoſcere organizationem: tum, *f* animam rationalem, tamquam perfectiſſimam, & omnibus eleuatiorem, determinare per ſe perfectiorem organizationem in ipſa materia: tum, *g* impoſſibile eſſe per naturam, quod anima rationalis ante debitam organizationem vniatur corpori: tum, *h* organizationem ſic eſſe præuiam diſpoſitionem ad animam, vt non ad animæ operationes ſolum ſit neceſſaria, ſed etiam ad ipſam eſſentiam animæ continendam, prout dicit actum primum vitæ: tum demum, *i* Hippocratis contextum reliquum ſua commentatione ſatis explicari; in qua contra varios Autores diſputationem iniens, ad conuellendum tamen dogma noſtrum de anima ſubiecto corpori nil tribuente non redit vnquam.

b a pag. 67. ad 77
c a pag. 77. ad 79
d a pag. 79. ad 84
e a pag. 84. ad 86
f a pag. 86. ad 88
g a pag. 88. ad 90
h a pag. 90. ad 96
i a pag. 96. ad fin. libr.

Reſpondetur cenſuræ Sanctacrucianæ, ſingulis particulis ſuæ primæ digreſſionis diligenter excuſſis. Cap. II.

HÆc quidem, non tam meo dogmati de anima ſubiecto corpori nil tribuente, quam opinioni Fienicæ de triduani fætus animatione, quæ meo placito fulciri poſſe videbatur, quum obieciſſet Regius Medicus; Accuſationem hanc Sanctacrucianam videns ante me doctiſſimus Fienus (vt ad me *a* nuperrime Patauium perſcripſit Io: Auguſtinus Balbanus Genuenſis, medicus egregius, veteris amicitiæ vinculo mihi coniunctiſſimus; nam opuſculum Fieni videre mihi non licuit) breuiter pro ſe reſpon-

a 11. Ianuary 1630.

se respondens, caussam meam suo patrocinio fouere detrectans, paucissimis hisce verbis obiectioni se satisfecisse retur, inquiens (Balbani relatu) in Apologia *b* nuper edita Louanij, b *Anni* 1629.

„ FIENVS. Liceti caussam non sustineo; verum interim est, formam posse esse in materia, nihil ei tribuentem; esse enim præcedit operationem; mox tamen vt introducta est, incipit operari, nec vacat, neque vnquam assistit, sed informat.

LICETVS. Quæ dogmata quia non conferunt ad defensionem sententiæ nostræ, quæ longe diuersa est a Fieni placito; propterea præstat, oportetque nosmet ipsos nostram caussam tueri, Sanctacrucianam censuram ad trutinam reuocantes, singulis eius particulis examinatis. Ait ergo

„ SANCTACRVCIVS. Sed postquam docuerimus.

LICETVS. Etsi me sciendi cupidissimum, ac Philosophorum minimum, Sanctacrucius Medicus Regius, & Primarius Vallisoletanus, plurima docere valeat; quicumque tamen sua cogitata studiosis in litteraria Republica Typographo præcone promulgat; is ea cunctis disciplinarum alumnis inuulgat, inter quos vt plurimi sunt eiusdem argumenti, pariter ac ipse, gnari; sic nonnullos etiam seipso doctiores existimare supponereque debet scriptor quilibet opinionem suam publici iuris efficiens: quare propria dogmata probare sine iactantia potest; ea se profiteri docere, sine quapiam superbiæ, forsanque & arrogantiæ nota non potest: Si enim Aristoteles ipse, qui communi doctorum consensu Magister sapientum salutatur, etsi foret in Atheniensi Lyceo, Peripatoque primarius, & Alexandri Magni, totius fere orbis æuo suo cogniti Monarchæ, Medicus & Præceptor, nunquam in operibus ab se vulgatis asseruit se docere; sed philosophica modestia semper vtens, a magistrali verbo docendi nunquam non sibi cauens, placita sua manifestare, confirmareue, idque tentare frequentissime confitetur; quomodo nunc audeat Antonius Ponce Sanctacrucius, etsi dudum primarius Vallisoletanus, & modo Catholici Regis Hispaniarum & Indiarum a cubiculo, & Protomedicus generalis, asserere profiterique se docere spectatissimum Fienum, cum quo disputat, & alios viros alta sapientia conspicuos, quibus proponens hanc suam disputationem, constituit eos iudices controuersiæ, quam cum Fieno, & mecum agitat? hos certe non potest edocere, sed reuereri debet Agonothetas in litterario certamine.

„ SANCTACRVCIVS. Animam rationalem non fabricare suam materiam.

LICETVS. Quum ego pridem in opere *c* De ortu Animæ humanæ adnotassem, a Marsilio Ficino in argumento Timæi Platonici sancitum fuisse, *Priusquam adultum sit corpus, animam totam in fabrica illius occupari*; & multo prius a Themistio *d* determinatum, *Igitur & animas in suum aliquod ac proprium corpus (si suum animæ instrumentum est corpus) diuertere oportebit: Dixi diuertere, immo non diuertit, sed fabricatur architectaturque conueniens sibi accommodatumque instrumentum, deformat ipsa sibi & præparat domicilium non deformatum ante et præparatum, demum subit: non enim quemadmodum cithara dedolatur prius et conditur, tum demum adhibetur ad Musicam; ita et corpus ornatur ante instruiturque, mox animæ sumendum offertur:*

c *lib.* 2. *cap.* 5.

d 1. *de an.* *cap.* 22.

fertur: Quale igitur singulis animis corpus instrumentumque conueniret, qua ratione anima illud sibi confingeret, neglectum a Timæo penitus & retro habitum videtur: statim adieci, Animaduertendum *e* esse, hæc non nisi de irrationali animæ parte verificari; quum ipsa mens deforis adueniat corpori iam plane organizato: Sententiam eamdem professus deinde fui latius in libello De *f* perfecta constitutione hominis in vtero: Quare propositam thesim non potest imponere mihi vir eximius.

e 2. de ort. an. hum. cap. 5.

f cap. 25.

„ SANCTACRVCIVS. Neque antecedere.

LICETVS. Animam rationalem præfuisse ab æterno, priusquam fætui corporique copularetur in vtero, non solum Platonis, *g* verum etiam Aristotelis opinio fuit, asseuerantis humanum intellectum esse antiquissimum, *h* nonnasci, *i* sed forinsecus aduenire k præexistentem: Quam Aristotelis assertionem vt latius ad mentem ipsius explicauimus in Opere De Immortalitate *l* Animorum; ita non recepimus, ast plane reiecimus in libro De Ortu *m* animæ humanæ, Magistro hac in re non subscribentes; in cuius verba nunquam iurauimus; quare tale dogma nobis obijcere adscribereue non debebat vir egregius.

g in Phædone, et alibi.

h 1. de an. t. 82.

i 1. de an. t. 65.

k 2. de gen. an. cap. 3.

l Lib. 2. cap. 62. 63. 64. et passim.

m Lib. 1. cap. 54.

n 7. Phys. t. 20.

„ SANCTACRVCIVS. Exibit statim Fortunius Licetus.

LICETVS. Non exiuissem vnquam ad ea vel confirmanda, vel infirmanda, quæ nihil ad me pertinere videbantur; ast sedens *n* in otio mearum contemplationum, quiescensque, libenter audiuissem controuersiam primariorum ætatis nostræ medicorum de vi formatrice fætus, dispositioneque corporis ad animum Philosophico-Medicam: sed prouocatus a Sanctacrucio, sine vlla necessitate meum placitum accusante, cogor exire veluti raptus tractusque in ius litterarium ante Sapientum tribunal ad meam caussam defendendam; quam Fienus, etsi veram agnouerit, iustamque confessus fuerit, sustinere tamen ac patrocinari recusauit.

„ SANCTACRVCIVS. Dicens, bene posse aliquam formam esse in mate-
„ ria, nil illi tribuentem.

LICETVS. *Dicens?* immo vero probans, atque demonstrans cum ex Aristotele, tum ex rei natura triginta plus minus argumentis in Volumine *o* De Spontaneo Viuentium ortu exaratis; quæ nescio cur hic dissimulet vir insignis. *Aliquam formam?* cur non omnem? late siquidem confirmaui, formam penitus omnem, accidentalem scilicet, substantialem, analogice dictam, proprie sumptam, assistentem, informantem, totius appellatam, partis agnominatam, inanimatam, animam vegetalem, sensitricem, & quoquopacto etiam rationalem, sigillatim existere posse quandoque in materia velut in vase, cui nihil omnino tribuat: Sed quomodo meum hoc theorema faueat opinioni Fienicæ de vi formatrice fætus; & quomodo suffragaturus Fieni sententiæ, a Sanctacrucio impugnatæ, tertius exire debeam in arenam philosophicam, ego quidem non video; quamuis id apertissimum supponat vir oculatus.

o Lib. 2. ca. 28. & seqq. vsque ad 40.

„ SANCTACRVCIVS. (Eritque ibi forma respiciens quo pacto omnia
„ suo placito disponantur, solidentur fundamenta, erigantur parietes,
„ aperiantur fenestræ, vacuitates peruiæ fiant, spatia spiritui dilatentur)

LI-

LICETVS. Hæc intra parenthesim conclusa dogmata videtur vir doctus deducere velle ex nostra positione, quam ex horum falsitate falsam arguere contendit: sed vt plane falsum est, Animam existentem in materia, cui nihil tribuat, ibi existere respicientem quo pacto cuncta suo placito disponantur, & partes omnes animantis efformentur; ita longe abest a vero, ex mea thesi Sanctacrucium hæc posse colligere: quod intimius rei naturam consideranti manifestum fieri poterit; nam in primis loquitur hic Regius Archiatrus de formatione membrorum fætus; proindeque considerat animam in materia organizandi viuentis; & eo tempore, quo fit huiusmodi formatio partium, & organizatio: ceterum nos animam in materia formandi viuentis, vt in vase, nihil illi tribuentem diximus esse, non quidem post actum conceptionis, vbi a generante per *p* primam mutationem materia susceperit animam ceu actum primum, & nondum ab anima suscepta sibi comparauerit vllas operationes (quod supra videtur fecisse Fienus) quia tunc dici non potest anima esse in materia, cui nihil tribuat; nam illi semetipsam exhibet in actū primum, & in formam essentialem; ac omnino corpori vitam substantialem confert; quam *q* Aristoteles definit esse τὸ viuentibus esse, præcedens omnem operationem: sed asseruimus, in materia, ex qua possunt oriri viuentia sponte nascentia, præexistere animam quandoque vegetalem, quandoque sentientem etiam, vt in vase, nil prorsus illi materiei conciliantem, non actum secundum, nec actum primum; quia talis materia non habet dispositiones ad vllum eorum actuum; quos non fieri nisi in patiente disposito, didiceramus olim ab *r* Aristotele: vbi vero contigerit quomodocumque materiam istam sortiri dispositiones ad tales actus necessarias; tunc anima illa, prius in ea velut in vase delitescens, sese ipsi communicat in formam essentialem, seque illi materiei exhibet in actum primum; a quo postea materies eadem animata & viuificata nanciscitur operationes vitæ, inter quas prima est organizatio perfecta, & partium omnium conformatio; vt *s* infra demonstrabimus: Quare non bene colligit ex nostra positione vir acutus, animam respicere quomodo formentur organa corporis, si præexistat in materia, cui nihil tribuat; quum tunc nulla corporis organa formentur. Deinde vero formatio partium viuentis est operatio proueniens ab *t* anima, & omnino actus secundus defluens a primo, sicut & *u* speculari; quod præclaris verbis asseuerauit Aristoteles; cui tum membra corporis, quæ futura sunt animæ *x* organa ad perfectiores vitę functiones obeundas, formantur ac fiunt ab eo principio, quod non est extra semen, *sed in genitura et semine insitum agit, idque aut pars aliqua animæ*, nimirum vegetalis in animalibus, & sentiens; *aut anima*, scilicet vegetalis in plantis, vbi hæc sola est integra stirpis anima; *aut habens animam est*; nempe spirituosa seminis substantia; cuius participatione semina omnia *y* fecunda redduntur: tum, *z semen tale est, motumque habet, et principium tale vt motu peracto pars existat quæque, eademque sit animata; non enim est facies nisi animam habeat, neque caro; sed corrupta æquiuoce dicetur facies, aut caro; perinde quasi lapidea, aut lignea facta sit: simul autem* partes

p *2. de an. t. 59.*
q *2. de an. t. 37.*
r *2. de an. t. 24. & 26*
s *cap. 3. & seqq.*
t *2. de gen. an. cap. 1.*
u *2. de an. t. 2. 5.*
x *2. de an. t. 6.*
y *2. de gen. an. cap. 3.*
z *2. de gen. an. cap. 1.*

partes similares, & instrumentales, siue officiales efficiuntur: quia scilicet, quum partes instrumentales constent ex vnione similarium, & aliquæ sint etiam similares; *nam carnis quoque aliquod officium est*, vt mox ait Aristoteles; statim ac similares partes factæ sunt, eodem temporis momento factæ sunt etiam instrumentales; etsi naturæ ordine prius fiant similares, deinde dissimilares: sic enim *a* Aristoteles conclusionem in ratiocinio statuit simul cognosci cum minore præmissa; quam certum est ordine naturæ præire conclusioni, cuius est *b* caussa: ac vt demus disputationi, productionem partium similarium esse quid ab organizatione distinctum; dissimilarium tamen, quæ organicæ sunt, & ipsamet organa, constitutionem nihil aliud esse quam organizationem, certissimum est: Si ergo partium similarium, quæ per animam in esse constituuntur, ac proprie sunt viuentes, & animam habent sui actum primum, procreatio præcedit constitutioni organicarum; nam carnis & ossis generatio natura præcedit manus & faciei productionem; quum carnis, & ossis, & aliæ cuiusque partis similaris generatio fiat ab actu primo; & post actum primum animæ, cuius est operatio, & actus secundus: profecto multo magis organicarum partium viuentis constitutio, adeoque perfectior organizatio fuerit actus secundus animæ, primum supponens, a quo velut a sui caussa effectrice dependeat. Nos ergo dicentes, in materia sponte nascentium animantium præesse animam velut in vase, nil adhuc illi materiæ tribuentem; cui materiæ postea quomodocumque, seu cito, seu sero, per congruum caloris gradum ab externo quopiam efficiente demum apparatæ, se se talis anima communicatura est in actum primum, ac posterius editura suos actus secundos, illos incœptura ab actu organizationis; nos inquam talia dicentes in positione nostra, quomodo deducet vnquam Sanctacrucius ad asserendum, animam in ea materia, cui nihil tribuit, respicere actum organizationis? anne putat vir doctus, animam respicere posse formationem partium ante quam hæc operatio fiat? aut existimat hoc e meo dogmate posse deduci? nihil magis a vero abesse potest. Deinceps formatio membrorum, ac partium viuentis, quæ perfecta organizatio dicitur, est propria functio vegetantis animæ; ad quam proprie refertur ab *c* Aristotele generatio sobolis; cui hæc famulatur, vel etiam associatur, vt complementum; quo nomine semina plantarum, & animalium oua dicuntur mortalia viuentia *d* imperfecta, quia non sunt plene organizata: Vegetalis autem anima carens omni facultate cognitrice, nihil omnino respicere potest: itaque vir catus ex nostro dogmate, quo sancimus in materia plantæ sponte gignendæ præexistere vegetalem animam velut in vase, nihil illi materiæ tribuentem, colligere non potest nos confiteri coactos eam animam ibi præesse respicientem quo pacto omnia suo placito disponantur; nam asseruimus eam ibi esse nihil omnino efficientem, vt in vase ac loco, ex necessitate materiæ. Similiter anima sensitrix, etsi facultate cognitrice polleat, non omnia tamen cognoscit quæcumque peragit in corpore; nam & dum conceptus partes efformat, hanc operationem, quam cum anima vegetali promouet, sine cognitione perficit: Si ergo matris anima (si quid cooperatur ani-

a 1. *Post.* *t.* 3.
b 1. *Post.* *t.* 9. 11.
c 2. *de an.* *t.* 34.
d *De vit. & mort. cap.* 14. 2. *de gen. an. c.* 3. & 4.

mæ

mæ puelli, cuius corpus organizatur) hanc functionem absque cognitione obit in vtero; quanto magis nos asserentes in materia sponte generandi animalis præextitisse vegetalem ac sensitricem animam vt in vase, nil illi tribuentem, eripimus ansam viro præcelso deducendi ex hoc nostro dogmate, quod talis anima ibi erit forma respiciens quo pacto omnia suo placito disponantur? Immo vero nec rationalis anima, quicquid in subdita sibi materia vel ipsa vel alia efficientia præstant, agnoscit necessario, licet maxima polleat facultate cognitrice; siquidem intellectus humanus omnia *e* cognoscit, omniaque potest intelligere; nam intellectrix anima non percipit quomodo visio fiat in corpore sibi subiacente, an emissis radijs ab oculis, vt opinatur *f* Plato; an admissis intra oculos visibilium speciebus, vt censet *g* Aristoteles: nec agnoscit, an vegetalis anima semper nutriat indefinenter, an aliquando functionem hanc intermittat; & fætui in vtero degenti post omnium partium conformationem *h* postremum copulata rationalis anima non agnoscit quid in eo fiat toto grauiditatis tempore: Quomodo nunc vir acutus ex mea positione, qua decreui formam, ac vegetalem, & sensualem animam viuentis ortu spontaneo generandi, præexistere ante illius ortum in materia velut in vase, nihil ipsi tribuentem, deducere posse sperat, me debere confiteri talem formam ibi esse respicientem quomodo singulæ partes eius animalis efformentur, & omnia suo placito disponantur? Amplius non bene colligit ex meo placito vir præstans, formam, quæ in materia viuentis ortu spontaneo gignendi reperitur, nihil ei materiæ tribuens, ibi esse respicientem quomodo omnia suo placito disponantur; tum quia vegetalis anima non agit ad arbitrium, nec quicquam molitur ad sui placitum; quoniam est agens mere naturale, citra cognitionem, quæ necessaria prorsus est omni agenti arbitrario: tum quia partium corporis viuentis conformatio, siue organizatio, a quocumque agente fiat, ab eo non editur, quod operetur ad nutum, & placitum suum; sed est functio, quæ sequitur puram naturalis agentis, non cognitionem, sed cognationem, ac similitudinem, procul ab omni cognitione, nudamque materiæ dispositionem; non autem arbitrium, ac votum, nutumque animæ nihil materiæ subiacenti tribuere constitutæ: Nec ex mea positione deducet vnquam vir doctus me debere in materia organizandi viuentis animam ponere, quæ respiciat quomodo omnia suo placito disponantur: licet animalium organizatio fiat a vi formatrice, quæ dici potest metaphorice cognoscens, aut etiam materialiter; vt *i* Auerroi, & plerisque sapientibus dicuntur Principia statui ab Aristotele nota naturæ formaliter non cognoscenti: quod nos etiam voluimus alibi, dum functionem organizationis animalium concessimus animæ cognitrici, sed sine cognitione tale munus obeunti.

e *3. de an. t. 4. 18.*
f *In Timæo.*
g *2. de an. t. 73. 121. 3. de an. t. 31. De sen. & sens. cap. 1. & 2.*
h *2. de gen. an. cap. 3.*
i *1. Phys. t. 2.*

SANCTACRUCIUS. Solidentur fundamenta, &c.

LICETUS. Vir excelsus hic ordinem conformationis partium viuentis insinuans per analogiam ad fabricam ædificij, seu domus, organizationem & formationem membrorum miris modis perturbat; & id e nostro placito nos collegisse supponit, quod nos ex eo deducere nec voluimus, nec potuimus

mus vnquam. Quæ fundamenta, quæso, solidantur in humana fabrica? si ea dixerimus esse partes principes, Cor, Cerebrum, Hepar, ac testes; iam his non attribuemus præ ceteris membris omnibus priuilegium soliditatis; tum quia Cerebrum, & iecur mollissimam obtinent substantiam; tum quia Corde, ac testibus longe solidiora sunt ossa, cartilagines, & ligamenta. Sin
k 5.*disqui. Physiol.* autem cum doctissimo præceptore nostro k Costæo dicere maluerimus fundamenta humanæ fabricæ partes esse spermaticas & albas, quæ primæ omnium gignantur, ceu principales; deinde his attexantur accessoriæ rubræ partes ex materno sanguine materiam habentes; profecto nec harum omnium propria conditio soliditate notatur; tum quia Cerebrum pars alba, & spermatica mollissimam obtinet substantiam; tum quia nerui plerique sensibus dicati molliores sunt dura cordis, renum, ac præputij carne.

" SANCTACRVCIVS. Erigantur parietes.

LICETVS. Quæ partes, obsecro, in humani corporis fabrica struenda erigi debent, vt parietes in constructione domus eriguntur? difficile sane non minus erit fingere Sanctacrucio quam partem corporis humani æmulentur parietes in domo, si detur illi facultas etiam fingendi; ac *l* Aristoteles olim dixit, difficile esse vel fingere, quam partem corporis determinatam contineat intellectus, vt visus oculum continere dicitur. Sed & quomodo coget nos vir amplissimus ex nostra positione talem ordinem conformationis colligere, vt in organizatione primum aliquæ partes ceu fundamenta solidentur, super illas aliæ veluti parietes dein erigantur? nonne possumus nos, ponentes animam viuentis ortu spontaneo gignendi præextitisse in materia, velut in vase, nil illi tribuentem; dicere, post eiusdem materiæ dispositionem ab externo calore, animam eamdem se se illi exhibere in actum primum; ac mox eam materiam organizare, formareque partes omnes animantis tum longe aliter ac ab ædificatore domus efficitur; proindeque in ea nihil esse, quod fundamentorum, aut parietum, aut etiam fenestrarum rationem habeat? tum etiam partes omnes ab eadem anima simul efformari; quod ipsimet *m* Sanctacrucio placuit, & *n* Aristoteles innuere videtur, vbi statuit simul effici partes similares, & instrumentales, & officiales? licet multo secus ac Regius hic Medicus, Aristoteles ibi coæuam omnium partium formationem ponat; tunc enim loquitur Philosophus de partibus similaribus in comparatione ad eas instrumentales, quæ ex illis in peculiari membro constituuntur; simul enim fiunt similares partes manus, & tota manus, quæ ex illis ortis immediate resultat; vt ex præmissis in syllogismo conclusio; quam simul cum minori cognosci *o* Magister asseruit: ceterum contra Sanctacrucium apertissime *p* Cor ante partes alias omnes oriri decernit Aristoteles, ac absolute non omnes partes simul fieri, sed vnam partem instrumentalem ante aliam gigni scribit constare certo experimento facto ab his, qui varios abortus obseruauerunt; quibus vltro quidem nos assentimus; ast hæc attulimus vt ostenderemus, ex nostra thesi non posse deduci, quod se deducere putat vir eximius. Sed non ne sibi contradicit aperte doctor iste primarius, qui modo *q* partes omnes fieri simul, modo *r* non omnes fieri simul confitetur? nec viro subtili prodest refu-

l 1.*de an. t.* 92.
m *Com. t.* 44.
n 2.*de gen. an. cap.* 1.
o 1.*Post. t.* 3.
p 2.*de gen. an. cap.* 1.
q *Pag.* 99.
r *Pag.* 83.

deest refugium illud suum ad distinctionem partium integrantium, & non integrantium; quarum illas simul omnes fieri statuit, has vero posterius: tum quia male barbam inter partes hominis collocat, quæ fuliginosum est excrementum vita carens; tum quia dentes perperam eijcit e numero partium ad integritatem hominis attinentium; quum certo constet hominem edentulum non esse hominem integrum ac perfectum, sed ea parte mutilatum, quæ necessaria ducitur ad humanas actiones rite obeundas: tum quia semen prolificum non bene similiter excludit a numero partium integrantium viuentia perfecta; nam Aristoteles, qui *f* definiuit Perfectum dici extra quod non est vllam accipere particulam magnitudinis naturalis; totumque ac omne, quod a perfecto re *t* nō distinguitur, esse cuius *u* nulla pars eorum abest, ex quibus totum natura dicitur; viuentia semine prolifico non prædita, statuit esse *x* imperfecta, & mutilata.

„ SANCTACRVCIVS. Aperiantur fenestræ.

LICETVS. Noui fenestris non inepte comparari sensuum instrumenta, & speciatim oculos; intra quos ait *y* Aristoteles recipi visibilium simulacra in animam; extra quos inquit *z* Plato exire spiritus, seu radios visorios ad obiecta; quum *a* Galenus, obseruatu *b* Laurentij, Platonicos cū Peripateticis conciliaturus, in actione visionis oculos asserat esse tum intra quos recipiantur obiectorum simulacra, tum extra quos ad visibilia spiritus visuales egrediantur: sed noui etiā longe aliud esse fenestras fieri, & fenestras ingredienti, vel egredienti rei aperiri; fiunt quidē oculorum fenestræ a facultate formatrice in fætu, sed in eo clausæ penitus efficiuntur; nec aperiuntur nisi multo post, orto iam animali, ab obiectis visibilibus: fiunt etiam in fætu a virtute formatrice reliquorum sensuum organa veluti fenestræ, sed clausæ consimiliter efficiuntur, multo post aperiendæ pariter ab *c* externis obiectis, instrumenta sensuum pulsaturis, & torpentem facultatem cognitricem de otio ad negotium, de actu primo ad secundum excitaturis; vt ostendit Aristoteles; cui puellus in vtero sensibus *d* non vtens, & fere semper *e* dormiens, fenestras sensuum clausas habet; nam somnus definitur *f* otium sensuum, *g* vinculumque ac immobilitas quædam animæ sensitricis, apud Aristotelem: Quocirca falso vir ornatissimus hic supponit a formatrice fenestras aperiri, & tale quid e nostra positione deduci.

„ SANCTACRVCIVS. Vacuitates peruiæ fiant.

LICETVS. Vacuitatibus in origine frustra tribuitur epitheton peruij; vacuitates etenim dum fiunt, necessario peruiæ fiunt; quia vbi peruiæ non sint, tunc obstructæ sunt; obstructione vero non laborant Medicis nisi partes viuentes, ac iam factæ; siquidem quod fit, non *h* dum est Aristoteli; quod vero nondum est, obstructum esse nequit; quare nec peruium fieri. Ceterum qua Logicæ vi deduci queat hoc assertum e meo placito de formis & animabus in materia vt in vase ac loco delitescentibus, ac nihil ei prorsus impertientibus, videant sapientes.

„ SANCTACRVCIVS. Spatia spiritui dilatentur.

LICETVS. Neque me coget vnquam vlla violentia Logicæ ad hoc dogma colligendum ex mea positione; neque theorematis huius constructio

f 5. *Meta.t.21.*
t 3 *Phys. t.63.64.* 1. *Cœl. t.2.*
u 3. *Phys. t.63. 64.* 5. *Meta.t.31.*
x 2. *de an. t.34.*
y 2. *de an. t.73.121*
z *In Timæo.*
a 7. *de plac. c.4.5. et 7.* 10. *de vsu part. de oculis ca.6.* 1. *prognost. com. 23.*
b *Quæst. 16. anatom. de visione.*
c 2. *de an. t.59.60.*
d 7. *Phys. t.20.*
e 5. *de gen. an. c.1.*
f 1. *Ethic. cap.13.*
g *De som. et vig. c.1.*
h 2. *Meta.t.7.* 5. *de gen. an. c.1.*

ſapit Hippocraticam ſapientiam; quam tractare docereque profitetur in hoc opere ſuo primarius Valliſoletanus: quomodo enim formatrix facultas in organizationis actu dilatet ſpatia ſpiritui? Spiritus Hippocrati ex proprietate naturæ, qua contradiſtinguuntur non ſolum a partibus ſolidis, quæ Continentes appellantur; ſed etiam ab humoribus, qui Contenti cognominantur, aptiſſime nuncupantur *i* impetum facientes, Diuino ſeni adſtipulante *k* Galeno; *l* cui, & Medicis omnibus agnoſcuntur ſubſtantia tenuiſſima: Quare ſpiritus tenuitate ſua, & impetu ſuo ſibimet ipſis ſpatia dilatare poſſunt; nec indigent vlla re alia ſibi vias aperiente. Quinimmo ſpiritus inſtrumenta ſunt cum aliarum omnium animæ facultatum, tum ſpeciatim virtutis formatricis, vt innuit *m* Ariſtoteles, aſſerens in ſemine omnium ineſſe ſpiritum & calorem, qui facit vt fecunda ſint ſemina; quæ fecunditas maxime nititur vi formatrice ac organizatrice, ſeminibus inſidente: quamobrem ſpiritus ipſe formatrici deſeruiens inſtrumentum, ſeu formatrici ſubditum corpus organicum, dilatat impetum faciens omnia ſpatia ceteris egentibus dilatato ſpatio; nec ſpiritui quid aliud ſpatia dilatat. Sed & quomodo Protomedicus generalis abſolute ſupponit ſpiritum egere dilatato ſpatio? non ne nouit a *n* Galeno paſſim animales ſpiritus a cerebro per neruorum ſeu cæcos, ſeu potius nullos meatus, ad inſtar luminis per non poroſam aeris, aquæ, addo per imperuiam vitri ſubſtantiam deriuari ad motum & ſenſum ſingulis particulis, etiam extremis impertiendum? Alimento, & excremento, ſiue humoribus, dilatat ſpatia vis formatrix gulam, venas, inteſtina, ſtomachum, veſicam, arterias, & alias huiuſmodi cauitates, corpulentæ ſubſtantiæ recipiendæ neceſſario dilatandas; non autem ſpiritui; cuius tenuiſſima ſubſtantia per omnia penetrat, non indiga ſpatij, ſaltem dilatatis non indiga ſpatijs. Quæcũq; igitur in hac ſua parentheſi concluſit vir clariſſimus, cogunt nos illi reddere voces ſuas, procul a vitio Petroniano, ac in eum retorquere, quod eius dicta *omnia ſunt falſa, & ſine neruis Philoſophiæ*, ac ſine ſucco ſanguineue Medicinæ; cuius tamen Artis primarius fuit Valliſoleti profeſſor.

i 6. lib. de morb. vulg. part. 7.
k 1. de diff. feb. c. 7.
l 3. de nat. fac. cap. 14.
m 2. de gen. an. cap. 3.
n 15. de vſ. par. c. 1. 1. de placit. c. 9. 7. de plac. c. 4. lib. de ſemin. c. 5. 1. de ſympt. cauſ. cap. 5.

„ Sanctacrucius. Sufficereque, vt ipſa famulas virtutes contemple-
„ tur aſſiſtens, &c.

Licetus. Hæc ab inclyto viro, ſuam extra parentheſim poſita, veluti mea dicta referuntur. Noueram ego quidem Hiſpanienſes vt plurimum eſſe viros oculatos; at vero quempiam adeo viſus acie pollere, vt etiam quæ a me ſcripta non eſſent vllibi, poſſet in meis libris legere, nunquam putaueram; quod in propoſito citra *o* Polybianã & † Hiphicrateam redargutionem dicere me poſſe reor. De acutiſſimo Sanctacrucio fortaſſe nil mirum, qui ſupra *p* Lynces omnes etiam non entia perſpicit, non ſolum in meis operibus, verum etiam in hoc libello primo De Ratione victus ab Hippocrate conſcripto, cui dicauit ipſe ſuos iſtos commentarios, inſignitos titulo, *De Hippocratica Philoſophia, ſiue de his quæ phyſice ſcribuntur in Hippocrate:* quaſi Philoſophiam omnem, quæ paſſim ſparſa legitur in omnibus alijs libris Hippocratis, concluſam viderit in hoc vno libello vir eximius: Qui ſane debuiſſet, potuiſſetque melius doctum Valleſium, a quo ſuæ commen-

o lib. 10. cap. 29.
† Plutar. apophtheg.
p 1. de gen. t. 86.

tationis

tationis inscriptionem mutuatus est, imitari; qui librum singularem *De ys quæ scripta sunt physice in libris sacris, siue de sacra Philosophia* inscribens, in eo non vnicum sacræ scripturæ libellum sibi desumit explicandum; sed ex vniuersa scriptura sacra decerpens omnes theses physiologicas, eas in vnum volumen congessit explanandas; nec in sola Genesi vidit, quæ in libris Regum, Iob, Prophetarum, & alijs habentur physice scripta. Sed fortassis hæc est vna pars Hippocraticæ Philosophiæ, licet inscriptio libri totam vocet Hippocraticam Philosophiam, seu illa quæ physice scribuntur in Hippocratem. Sed, obsecro, vir doctus ad hoc suum volumen versandum non semel vocans eruditos, qua eruditione dicit Hippocraticam Philosophiam esse illa quæ physice scribuntur in Hippocrate, vel in Hippocratem? an illa eadem, qua scribit in hoc opere, *Mista exposcere per se diuersitatem aliquam partium, quæ est quasi quædam* q *sors analoga organizationis inculta, et occulta?* Sed præter eruditionem, quæ *sortis* vocabulum pro specie ac differentia non tolerat, in hoc theoremate requirit Aristoteles veritatem; qui definiens animam esse actum primum corporis naturalis r organici, mista inanimata nullã habere profitetur organizationem, nec occultam, nec incultam, quam s semini tribuit; quia censuit ipsum esse viuens t imperfectum. Sed quicquid sit de hoc, si hæc in Cardani subtilitatibus animaduertisset Scaliger, ab eo in verbis offensum se clamaret, quum sortem pro specie ac differentia; & quæ scribuntur in Hippocrate, pro ijs quæ scribuntur ab Hippocrate legere cogeretur: nam ita scribere barbaro cuipiam fortasse licuerit ad barbaros; non lectissimo primarioque doctori ad eruditos. Ceterum ad pensum huius loci redeamus. Falso certe mihi vir solers attribuit, quæ nunquam dixi, nimirum, Formæ in materia, cui nihil tribuit, existenti *sufficere vt ipsa famulas virtutes contempletur assistens:* Qui enim longiore tractatu dudum in opere u De Intellectu Agente probauimus animæ facultates ac virtutes operatrices non esse ab animæ substantia realiter distinctas, adeoque non esse animæ instrumenta; quomodo virtutes illas animæ famulas vnquam asserere potui? nihil enim sibimetipsi famulari scio; & idem sibimetipsi deseruire vt instrumentum agenti principali nunquam ignoraui: quare falso mihi non debuit adscribere tale placitum vir cordatus. Qui pariter pono formam esse in materia, cui nihil tribuit; quomodo dico formam illam assistentem contemplari virtutes famulas? forma siquidem assistens semetipsam in formam tribuit materiæ, cui assistit; eamque regit, ac moderatur: an Dux exercitui nihil tribuit, cui assistit? an Princeps regno, siue subdito sibi populo nihil tribuit, cui assistit? an etiam Deus assistens Vniuerso, nihil tribuit mundo, cui assistit? multum sane tribuit, x Aristotelis obseruatione; qui constituit bonum exercitus, Ciuitatis, & Vniuersi esse Ducem præcipue, Principem, atque Deum. Ego etiam, qui y sæpissime statui formam in materia, cui nihil tribuit, neque per se, neque per accidens, in ea esse velut in loco & vase; quomodo dixi eam illi materiæ assistere, aut famulis virtutibus, quas contempletur? Immo vero satis aperte scripsi, formam in materia sponte gignendorum animantium præexistentem vt in vase, nihil illi, nec per se, nec per accidens, tribuentem, tunc

q *pag.85.*
r *2.de an. t.6.7.*
s *2.de an. t.10. 2.de gen. an.c.3.*
t *De vit. & mor. cap.14.*
u *Lib.2. cap.26. et 27.*
x *12.Meta.t.52. et seqq.*
y *2. De spõt. viu. ort. cap. 28.et seq.*

nec illi aſſiſtere, nec illam informare: Quæ loca ſi vir eximius non diſſimulaſſet, ea placita mihi nunquam impoſuiſſet, quæ ſemper a mente mea abfuerunt.

„ SANCTACRVCIVS. Contempletur aſſiſtens vt neque errent, neque deſiſtant ab opere.

LICETVS. Anima in corpore contemplationem promouens, etiamſi corpore non vtatur vlla ratione ad contemplationis actum obeundum; ob intimam tamen ac ſubſtantialem coniunctionem eius cum corpore, ſuæ functionis perfectionem corpori quoquopacto communicat; & viciſſim vbi contemplatio fuerit inteſior & diuturnior; anima circa valde intelligibile diu & vehementer occupata, non ita vacans gubernando corpori, reddit homines immodice contemplatiuos valetudinarios; adeoque corpori labem, ac detrimentum affert; quæ moderata contemplatione reddens homines ſapientes, etiam corpus, quod eſt hominis altera pars eſſentialis, vtcumque perficit: Sic igitur anima dum in corpore degens contemplatur, neceſſario tribuit corpori quampiam vel perfectionem, vel imperfectionem; perfectionem quidem, reddens hominem totum ex anima & corpore conſtitutum perfectiorem ignaris hominibus, quorum anima non vacat contemplationibus; imperfectiorem vero, reddens homines nimio ſtudio valetudinarios. His ita ſe habentibus, quum ego poſuerim, animam viuentium ſpontenaſcentium in materia illorum præexiſtere, nihil illi penitus tribuentem; iam non aſſerui eam contemplari. Deinde vero qui dixi formam & animam præexiſtere velut in vaſe in materia viuentium ſponte gignendorum, nihil ei materiæ prorſus tribuentem, nec per ſe, nec per accidens; aperte conſtitui formam illam eo tempore feriari ab omni munere, ac penitus otiari; nec per ſe immediate, nec per famulas virtutes vllas quicquam operari; nam anima, quæ per famulas virtutes ſuas aſſidue format organa corporis, & eas operantes contemplatur ne in operando errent, neue deſiſtant ab opere; illa ſane non nihil tribuit materiæ, in qua dicitur inesse, quæque famulis illis virtutibus dicitur organizari; ſed plurimum ei materiæ tribuit; quia magis eam materiam agitat quam famulæ virtutes; etenim & z Architectonicus magis operatur, aſſiſtens operarijs ne errent, neue deſiſtant ab opere, quam operarij famuli manibus laborantes; vt colligitur ex Ariſtotele: Cui etiam Primus motor Deus, aſſiſtens cunctis ſecundis motoribus ne errent, neue deſiſtant ab opere, *a* magis mouere dicitur, quam ſecundi motores. An non videt oculatus Hiſpanus, animam per virtutes famulas organizantem corpuſculum fœtus, & aſſiſtentem contemplantemq; famulas virtutes, organa fabricantes in embrio, ne errent, neue deſiſtant ab opere, dici non poſſe ſic eſſe in materia, vt nihil prorſus illi tribuat? Immo vero non ne videt, contradictoria eſſe dogmata, formam eſſe in materia cui nihil tribuat, & formam in materia aſſiſtentem contemplari virtutes famulas ne errent, neue deſiſtant ab opere organizationis materiæ? Qua violentia Logicæ, vel Iberæ, hoc eſt Lullianæ, me dicentem, Animas eſſe poſſe in materia, cui nihil tribuant, cogere poterit vnquã vir egregius aut confiteri, aut innuere, Animas illas eſſe aſſiſtentes, & contemplari

z 1. *Meta. cap. 1.*

a 8. *Phyſ. t. 33.*

templari famulas virtutes eam materiam organizantes, ne errent, neue desistant ab opere? Quare perperam ea mihi adscribit Doctor Vallisoletanus, quæ meo dogmati plane contradictoria sunt, nec ex eo possunt vlla ratione deduci: Meminerit vir inclytus, *b* Polybium asseuerantem, turpissimum esse, si quis aliena pro suis obtrudat, non minus turpe censere, si quis ab se conuellenda non vera commenta, falso alijs imponat & adscribat. b *Lib. 9. cap. 2.*

" SANCTACRVCIVS. Hoc enim solet efficere Princeps assistens sola præ-
" sentia.

LICETVS. Princeps assistens sola præsentia subditis, contemplansque ne errent, neue cessent ab opere sibi demandato, non apte nunc ab Archiatro Regio comparatur formæ, quam nos olim posuimus in materia, cui nihil tribuat, multis nominibus: In primis enim Princeps assistens sese in actum assistentem exhibet ei, cui assistit, ipsumque regit ac moderatur: at vero nos formam illam in materia posuimus vt in vase, cui nec in assistentem, nec in formam informantem se communicauerit, nec eam gubernet, aut regat vllo pacto. Deinde Princeps assistens ciuitati non est in ea velut in vase ac loco; quia sic & subditorum quilibet est in ciuitate; sed ciuitatis est Princeps per se commune bonum, vt ait *c* Aristoteles: nos autem animam illam in materia posuimus vt in vase, cuius nihil omnino sit, nec per se, nec per accidens. Deinceps Princeps non assistit regno suo, subditisq; sola præsentia, sed præsentia actuosa, qua sontes punit, & insontes tuetur; prauos pœnis afficit, probos præmijs honestat, vnicuique tribuens quod illi congruit ex merito: secus enim stolidus homo præsens populo, & cunctorum opera cernens, nec virtutes præmijs, aut vitia pœnis afficiens, Princeps non est appellandus: nos autem animam in materia diximus esse valere penitus vt in vase, cui nihil omnino tribuat, nec per se, nec per accidens; immo nihil prorsus agat, nec assistens, nec informans; sed in ea sit solummodo præsens, vt in loco, seu vase. c 12. *Metat. t. 52.*

" SANCTACRVCIVS. Sed hæc omnia falsa sunt.

LICETVS. Quæ? sane omnia falsa sunt, quæcumque Medicus Iberus tum nobis falso adscripsit; tum etiam perperam e nostro dogmate deduxisse se sibi persuasit; vt nuper ostendimus: atuero nostrum theorema de anima subiecto corpori nihil impertiente, sed in materia velut in vase quandoque delitescente, sine vlla prorsus operatione, atque actuandi ratione, vt ita dicam; falso falsitatis arguitur; quum plurimis, & necessarijs rationibus dudum a nobis vallatum maneat in opere de *d* Spontaneo Viuentium ortu, nescio cur hic ab eximio viro dissimulatis; qui ratiocinijs illis non solutis, dicere non potest thesim ipsis innixam esse falsam. d *Lib. 2. cap. 28. & seqq.*

" SANCTACRVCIVS. Et sine neruis Philosophiæ.

LICETVS. Medicus etiam in metaphora circa *e* neruum? ceterum etsi nos vltro concedamus, placita falso nobis attributa, & e nostro dogmate non bene deducta, non inniti solida & neruosa philosophia; contra tamen, assertionem nostram de anima substratæ materiei nihil impertiente, veram esse, solidisque fulciri neruosæ Philosophiæ fundamentis, a me pridem in eo *f* libro exaratis, vnde vir catus nostram thesim decerpsit hac sua censura e *2. Phys. t. 26.* f *2. De spont. viu. ort. cap. 28. & seqq.*

sura notandam; apertissime constare potest vnicuique nostris illis argumentis quæ dissimulare placuit, forte quia soluere non licuit, viro præstanti.

SANCTACRVCIVS. Quia sine particulari miraculo non potest fieri, vt „ anima, aut aliqua forma naturalis assistat, non tribuens materiæ suum „ actum formalem.

LICETVS. Quamuis veteranus hic miles Hispanus hac litteraria velitatione in nos impetum fecerit; vibrauit tamen in nos, non gladium Celtibericum, qui Suidæ machæra est ceteris præstans multum, & pungit acriter, & ictum vtraque manu potentem fert; sed eduxit in nos ensem Gallicanum, hoc est, vt *g* admonet Polybius, mucrone carentem; quia nos non pungit vir doctus, dum tali vtitur argumento: Primo siquidem ponentes nos animam in materia posse consistere velut in vase, cui nihil omnino tribuat, non fecimus eam formam tali materiæ assistentem; quia diximus aperte formam illam nihil prorsus esse illius materiæ, non actum assistentem, nec informantem; vt quæ nec per se, nec per accidens eam materiam actuet, perficiatque; siquidem nouimus ab *h* Aristotele, formam assistentem esse actum primum eius, cui assistit; dum, posteaquam definiuit animam esse actum *i* primum corporis naturalis potentia vitam habentis, siue instrumentalis, asserit non proinde manifestum esse, num anima sit actus sicut nauta nauis; cuius formam assistentem esse nautam nemo non nouit. Quin & *k* Aristoteles, refragante nemine, statuens nautam esse actum nauis; quum actus generatim omnis aut *l* primus, aut secundus sit, nec vllus tertius formalis actus inueniatur; quando certissimum est, nautam non esse nauis actum secundum, qui proprie nauigatio est; iam satis aperte constat, nautam, adeoque formam assistentem, esse actum primum eius, cui assistit: Quare nosse debuerat vir præcelsus, nos ponentes animam in materia velut in vase, cui nihil omnino tribuat, cuiusque nihil omnino sit, neque per se, neque per accidens, asseuerare talem animam illi materiæ non assistere; vt perspicuis verbis contestati fuimus, vbi de huiusmodi forma *m* nil subiectæ materiæ tribuente dedita opera sermonem fecimus. Deinde vero si nauta sine vllo miraculo potest in naui velut in loco & vase inesse, ac nihil illi tribuere, nullumque prorsus actum formalem illi conciliare; vt si dormiat in naui *n* Palinurus, aut vigilans nihil operetur eorum, quæ pertinent ad nauem; quum ab arte ad naturam, cuius ars est *o* imitatrix, *p* frequenter Aristoteles argumenta deducat, & nos attollat: cur sine particulari miraculo forma quoque naturalis esse nequeat in materia, cui non tribuat suum actum formalem? Deinceps quid nomine formalis actus intelligit hoc in loco vir clarus? actum ne primum, an secundum? quandoquidem duos hosce solum posuit *q* Aristoteles, & recepit ab Aristotele *r* Medicus Hesperiæ; nec vllus alius tertium actum formalem reperire potuit, aut poterit vnquam: si de primo loquatur vir excellens; iam hoc falsum esse probauimus plurimis rationibus in opere *s* de Spontaneo viuentium ortu; quibus nisi satisfecerit vir egregius, ijs innixum theorema nostrum permanebit ratum & inconcussum: Quod vel ex Hippocratica doctrina confirmatur,

g *Lib. 2. cap. 53.*
h *2. De an. t. 11.*
i *2. de an. t. 6. & 7.*
k *2. de an. t. 11.*
l *2. de an. t. 2. et 5.*
m *2. De spont. viu. ort. cap. 28. & seqq.*
n *Virgil. 5. Aenei.*
o *2. Phys. t. 78. 79. 86.*
p *1. Phys. t. 69. 2. Phys. t. 78. 79. 86.*
3. de an. t. 17.
q *2. de an. t. 2. 5.*
r *Pag. 92. in fin.*
s *Lib. 2. cap. 28. & seqq.*

matur, ab ipso Sanctacrucio prolata, & probata *t* posterius, vbi ait, Hippocratem existimasse statuas Idolorum, quæ sua tempestate Gentilibus responsa dabant, proindeque Dæmones intra se continebant, non esse Dæmonibus illis animatas, vt censuit Aristoteles assistentibus sibi Intelligentijs *u* animatas esse cælorum orbitas: Quare putauit Hippocrates, & ex Hippocrate vir eximius, cui respondemus, in Gentilium Deorum statuis, oracula tradere consuetis, extitisse formas illas non informantes, & animas non animantes, nec viuificantes; adeoque formas aliquas in materia fuisse, cui suum formalem actum primum non impertirent: Si ergo sine particulari miraculo tunc id frequentissime contigit, vt anima separata in corpore statuæ inesset velut in vase, ipsum non animans, ipsumque non viuificans per actum formalem, quem primum Aristoteles appellat; sique nunc etiam apud Indos Idololatras contingere nouisse potuit a suis *x* Historicis, & negotiatoribus Hispaniensibus ex India redeuntibus Protomedicus generalis Catholici Regis Hispaniarum & Indiarum; cur particulare miraculum esse necessarium nobis obijcit hic vir ad hoc vt anima formaq; naturalis insit in materia, cui non tribuat suum actum formalem, quo ipsam materiam illam animet ac viuificet? Sin autem vir multiscius agat de actu secundo; manifeste falsum dogma pronuntiat; tum quia rationalis anima plerumq; nobis actum intelligendi non tribuit; vt clare contestatur *y* Aristoteles, asserens intellectum in nobis non semper intelligere; vtque potest vnusquisque in semetipso cognoscere; quum nemo nesciat, se non solum dormientem, sed etiam vigilantem sæpe nihil intelligere: tum quia motrix anima quandoque suo viuenti, potissimum respirandi functionem a natura non habenti, motum non impertitur; & sensitrix etiam sentiendi functionem plerumque non exhibet animali; quod experimento compertum habemus tam in adultis, qui *z* dimidium vitæ dormiunt, quiescentes ab omni motu, & nihil sentientes; quam etiam in puellis nondum natis, qui dum vtero clauduntur, fere semper *a* dormiunt, nihil omnino sentientes pariter, & immoti prorsum quiescentes: quin & Medicus agnouisce debebat, in ecstasi perfecta, in Apoplexia forti, & in histericis affectibus omnes motuum, & sensuum functiones aboleri: tum demum quia vegetalis anima non solum in stirpibus, & in plurimis animalibus totam hiemem feriatur, sed etiam alijs anni temporibus operationes omnes intermittit; quod latissime demonstrauimus in opere *b* De his qui diu viuunt sine alimento. Sic ergo mucrone carens telum Sanctacrucij, aciem quoque habet obtusam, adeoque est nostro dogmati feriendo ineptum.

„ SANCTACRVCIVS. Quæ omnia inferius magis clarescent.

LICETVS. Omnia? quomodo tanta polliceatur nunc vir doctissimus, qui nostram sententiam de anima subiecto corpori nihil impertiente, sed in eo velut in vase delitescente, posthac ne verbo quidem tangit in suo commentario? nouimus hinc, recte monere *c* Polybium ex Epicharmo, dum statuit, Articulum esse prudentiæ, Credere nemini. Damus nos quidem vltro Sanctacrucio, falsa esse omnia tum ab eo falso nobis adscripta; tum ex nostro placito non bene deducta; vt antea vidimus: sed illi concedere

t *Com. t. 66. pag. 136. et seqq.*
u *2. Cæl. t. 13. 62.*
x *Fern. Alarch. relat.*
y *3. de an. t. 16.*
z *1 Ethic. cap. 13.*
a *5. De gen. an. cap. 1.*
b *Lib. 3. per tot.*
c *Lib. 17. cap. 30.*

dere non possumus, nec ipsum posterius demonstrare illorum falsitatem; nec animam & formam esse non posse physice in materia, cui nihil omnino tribuat: Quod meum placitum vt nudis verbis antea taxauit Regius Archiatrus veluti falsum, & sine Philosophiæ neruis; ita nullis vnquam rationibus in suo volumine falsum esse demonstrauit, aut eneruem; etenim de industria toto eius opusculo perlecto, nihil inuenire potui, quod meam assertionem tangeret. Quæ omnia nos, breuiter percurrentes illius dicta, sic ostendere iam aggredimur.

Expenduntur alia Sanctacrucij dicta, post primam eius digressionem allata; et ostenduntur nobis nihil officere; ac primo falsa esse demonstrantur, quæcumque de seminis efficientia instrumentaria tradidit Regius Archiatrus. Cap. III.

POst allata in prima sua Digressione, nuper a nobis excussa, statim con-
tra Fienum disputat Sanctacrucius, contendens inesse semini virtutem
a *Pag.* 72. 81. formatricem partium, & generatricem viuentis; quam virtutem ait semini
inesse *a* decisam ab eo, vnde semen effluxit; & cuius semen est *b* instru-
b *Pag.* 71 *& seqq.* mentum separatum: eamque virtutem ait esse non *c* animam seminis, nec
esse qualitates *d* elementales seminis: at producere substantiam viuentis
c *Pag.* 51. 52. 53. 72. 74. generandi virtutes generantis *e* absentis, & Dei, *f* vt primæ caussæ præ-
sentis. Quæ vt nihil omnino faciunt ad ostendendum, fieri non posse vt
aliqua forma & anima existat aliquandiu in materia, cui nihil tribuit; ita
d *Pag.* 77 pleraque falsa sunt penitus. Falsum in primis est, semen esse purum putum-
e *Pag.* 72 que instrumentum eius, a quo prodijt; & non habere proprie nisi naturam
f *Pag.* 73. instrumenti; differt enim organum ab agente primario, cuius virtute in-
strumentum operatur, quod instrumentum non est id, quod operatur pro-
g 2. *de an.* t. 50. prie; sed id quo primarium efficiens eo vtens operatur; vt docet *g* Aristo- 1
teles: qui quum *h* alibi constituat, semen esse quod agit: iam constat, semen
h 1. *De gen. an.* c. 18. in actu generationis animantis, & formationis partium, non agere sub ra-
tione organi, & instrumenti. Deinde instrumentum est id, quo *i* secunda- 2
i 2. *de an.* t. 37. 41. rio res fit, non quo primo: sed Aristoteles ait, semen esse quo primo viuen-
tia producuntur, his verbis, k *Tale autem sua natura semen esse requirit, vt*
k 1. *De gen. an.* c. 18. *ex eo primo oriantur ea, quæ secundum naturam constituuntur.* Et paullo post.
Semen in altero de duobus his esse apertum est; aut enim ex eo vt materia, aut vt
ex eo primo quod mouerit, est quod gignitur. Et mox *Genitura igitur id vocatur,*
quod a generante proueniens caussa est, quæ prima obtineat principium generatio-
nis, videlicet in ijs quæ coire natura voluit: igitur Aristoteli semen est agens
principale, non autem instrumentum, in organizatione, & generatione vi- 3
uentis. Præterea semen est caussa vnde principium mutationis, aut status,
l 2. *Phys.* t. 31. aut motus, perinde ac Medicus, & consultor, & omnino faciens; vt ait *l*
Aristoteles: at vero Medicus non est instrumentum, neque consultor est
organum, similiter nec faciens; ast horum vnusquisque est agens prima-
m 7. *Meta.* t. 31. 1. *de gen. an. cap.* 18. rius: igitur semen non est agens instrumentale, sed principale. Vlterius 4
Artifex, vel Ars est artificiosorum efficiens principale, non autem instru-
mentarium: sed *m* Aristoteli semen agit vt artifex, & vt ars: igitur semen
non

non habet rationem instrumenti. Postea nullum instrumentum est agens vlla ratione vniuocum; at semen quodammodo est *n* vniuocum eidem Aristoteli: semen ergo non agit vt instrumentum. Ceterum huic rationi Medicus alter Italus Abbatiensis Archiatro Regio consentiens nuper obijciebat Spiritus, quos dicebat esse facultatum instrumenta, & tamen generare spiritus alios sibi similes: addebatque in arte factis malleum a malleo fieri vt ab instrumento; proindeque non bene dici instrumentum non esse vniuocum agens effectuum suorum. Verum paucis, Spiritus a cordis substantia fiunt ante omnium spirituum præsentiam; solaque cordis facultas vtitur temperie cordis, non spiritibus, vt instrumento ad spiritus procreandos; ita de spirituum animalium productione in cerebro, deque naturalium (si dantur) origine prima in hepate dicendum est: sunt quidem spiritus instrumenta facultatis, non ad spiritus alios consimiles generandos, vt ait aduersarius; sed ad vitales pulsus, & respirationis, animalesque motus, & sensus operationes promouendas. De malleo res obscurior est; at uero malleus vt efficitur ab idea mallei, quæ residet in artificis intellectu, necessario tamquam ab efficiente primario, & quodammodo vniuoco: sic non est necessarium vt artifex malleo vtatur ad malleum fabricandum, velut instrumento; nam sine materialis vsu mallei malleum efficere potest faber ferrarius lima rude ferri frustum in mallei formam efformans. Quin & malleus, quo valet vti faber ad alium malleum efficiendum, quia non virtute propria molitur id opus, sed malleum efficit in virtute mallei degentis in intellectu artificis, adeoque in virtute fabri principalis agentis, cui deseruit, vt instrumentum; proinde malleus instrumentarius non efficit malleum sibi consimilem vt agens vniuocum per se ac proprie, sed mere per accidens, siue per aliud; non enim fit malleus a malleo, quatenus malleus est, sed quatenus motus & gubernatus a fabro; ac proinde per se fit malleus a non malleo; quare vt ab agente non vniuoco. Consimilem doctrinam huic, quam nos profitemur nunc de caussa effectrice, promulgauit Aristoteles aliquando de materiali, sub exemplo entis ex nonente, & animalis ex non animali, sic, *o Similiter autem neque ex eo quod est, neque id quod est, fieri nisi secundum accidens: sic autem & hoc fieri eodem modo, vt si ex animali animal vtique fiat; & si ex quodam animali quoddam animal; vt si canis ex equo fiat: fiet enim non solum ex quodam animali canis, sed etiam ex animali; at non quatenus est animal; est enim iam hoc: si autem aliquid debet fieri animal, non secundum accidens, non ex animali erit.* Sed & eamdem plane doctrinam de caussa effectrice, quam hic nos profitemur, attulit Aristoteles paullo *p* prius, redarguens antiquos non discernentes efficientia per se ab agentibus per accidens, exemplis Aedificatoris, & Medici; quibus apte nos fabri, & mallei exempla substituere valemus; ait enim, *Nos autem dicimus quod ex eo quod est, aut ex eo quod non est, fieri; aut quod non est, aut quod est, facere aliquid, aut pati; aut quodcumque hoc fieri, vno quidem modo nihil differt, aut Medicum facere aliquid, aut pati, aut ex Medico esse, aut fieri: Quare quum hoc dupliciter dicatur; manifestum est, quod ex eo quod est, & id quod est, aut facere aliquid, aut pati: ædificat*

n 7. *Meta. t.* 31.

o 1. *Phys. t.* 76.

p 1. *Phys. t.* 73. 74.

C *igitur*

igitur Medicus, non secundum quod Medicus, sed secundum quod ædificator: & albus fit, non quatenus Medicus, sed quatenus niger: medicatur autem, & non Medicus fit, quatenus est Medicus: Quum autem maxime proprie dicamus Medicum facere aliquid, aut pati; aut fieri ex Medico, si secundum quod Medicus hæc patiatur, aut faciat; manifestum quod ex non ente fieri et hoc significat, quatenus non est: quod illi quidem non partientes, aberrauerunt; & propter hanc ignorantiam, tantum insuper ignorauerunt, quod nihil aliorum opinati sunt fieri, aut esse, sed auferebant omnem generationem. Ita prorsum nobis dicentibus instrumenta non esse agentia vniuoca, qui obijciunt malleum, quo fit alter malleus, non animaduertunt, malleum fieri a malleo non per se, ac quatenus malleus est, sed per accidens; secus enim malleus absque malleo fieri non posset; quod falsum esse constat ex eo, tum quia primus malleus factus est non a malleo; tum quod etiam nunc a fabro fieri poterit malleus citra mallei ministerium, sola lima: sed ideo malleum fieri a malleo per accidens, quia sine malleo malleus effici valet,
q 2. *Phys. t.* 3. docuit nos Aristoteles, dum ait *q* Medicum sanari a seipso non per se ac quatenus Medicus est, sed per accidens, quia qui sanatur non semper est Medicus, sed aliquando separantur abinuicem Medicus, & qui sanatur: Sic ergo proprie ac per se instrumentum non est agens vlla ratione vniuocum: Semen igitur, quod est quodammodo vniuocum, non agit vt instrumentum. Insuper semen habet in sua potestate formam viuentis
ab eo generandi; vt & id a quo semen prouenit, & artifex habet in sua 6
potestate formam effectus artificiosi producendi: sed quod habet in sua potestate formam rei generandæ, est illius rei agens primarium, non au-
r 4. *Phys. t.* 23. tem secundarium Aristoteli; *r* cui res Græcorum sunt in rege, ac omnino in primo mouente potestate: semen igitur est agens primarium, non autem instrumentale. Quæ rationes nituntur his Aristotelis theorema-
s 7. *Meta. t.* 31. tibus; *s Similiter se habent et quæ natura constituta sunt: semen namque facit, sicut ea, quæ ab arte sunt; habet etenim potestate formam, et a quo semen est, quodammodo vniuocum, &c.* Semen autem hic dicitur habere formam rei a se generandæ in potestate actiua, vt & id a quo semen est; nam vtrumque generat rem animatam; sed semen eius est generans proximum; id autem a quo semen est, eiusdem rei est generans remotum; quare semen habet formam animantis generandi in potestate proxima & immediata; id vero, a quo semen est, eamdem obtinet in actiua potentia mediata, & remota. Posterius, instrumentum suam omnem actionem acceptam refert ei cuius est instrumentum; nec instrumentum est caussa 7
præcipuo agenti vt agat; sed viceuersa: modo semen Aristoteli non agit eo quod ex animante prodierit; sed vicissim semen est id, quod est caussa vt animans, cuius est fructus, generare valeat: verba Magistri clarissi-
t 1. *De gen. an. cap.* 18. ma sunt hæc, *t Tale autem sua natura semen esse requirit, vt ex eo primo oriantur ea, quæ secundum naturam constituuntur; non quod ex illo, verbigratia homine aliquid sit, quod agat; sit enim aliquid ex hoc, quia semen eius est:* Semen ergo non est instrumentum eius a quo prodijt, sed agens principale. Præterea ratio instrumenti est vt primario respiciat agens principa- 8

le, cui deſeruit; & ſecundario effectum, quod producit in gratiam agentis præcipui eo inſtrumento vtentis: modo ſemen primario reſpicit id quod gignitur ex ipſo; at ſecundario, ac ferme per accidens, id a quo profluxit, nimirum non qua ſemen eſt, ſed qua ſemini vtcumque accidit eſſe fructum; quod *u* alicubi docet Ariſtoteles inquiens, *Semen, & fructus inter ſe differunt prioris poſteriorisque ratione; fructus enim, quod ex alio eſt; ſemen, ex quo aliud: nam alias idem ſunt*, re ſcilicet ac ſubiecto: ſi ergo ratio formalis, qua ſemen conſtituitur in eſſe ſeminis, prout contradiſtinguitur a fructu, eſt vt non referatur ad id ex quo prodijt; ſed ad id, quod ex ipſo poteſt exoriri; quum ratio ſpecifica inſtrumenti referat ipſum principaliter ad id, cui famulatur: iam ſemen proprie in actu generationis, & organizationis, quin & abſolute non eſt inſtrumentum eius animantis, a quo defluxit: quod nos olim ſcripſimus in Opere *x* De Ortu animæ humanæ. Immo vero & hoc etiam inſinuat Ariſtoteles, dum ait, *y* ſemen eſſe, quo natura maſculi emittentis vtitur quaſi inſtrumento; quod enim eſt quaſi inſtrumentum, ſeu ſimile inſtrumento; id vere ac proprie inſtru-
9 mentum non eſt. Inſuper ſemen Ariſtoteleo decreto in formatione fætus agit eadem prorſum ratione, qua coagulum in conſtitutione caſei, ſeu in coagulatione lactis; quod non ſemel protulit Magiſter admirandus, primo quidem his notis, z *Corpus autem genituræ, in quo ſemen animalis principij contentum vna prouenit, partim ſeparabile a corpore, in quibus diuina pars comprehenditur, qualis eſt quæ mens appellatur; partim inſeparabile: hoc inquam genituræ ſemen diſſoluitur, verſumque in ſpiritum euaneſcit; quum naturam humidam aquoſamque habeat: quamobrem an ſemper id foras exeat, quærendum non eſt; neque an pars vlla ſit formæ conſtitutæ; quomodo nec de ſucco, a quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit; nam is quoque mutat, et nulla pars conſtitutæ magnitudinis eſt*. Deinde vero in hanc ſententiam, *a Quum autem excrementum feminæ in vtero conſtiterit a maris genitura, quæ ſimile facit, vt lactis coagulum; coagulum enim lac eſt continens calorem vitalem, qui partes ſimiles ducit eodem, & vnit atque conſtituit: Et genitura ita ſe habet ad menſtruorum naturam: eadem enim natura lactis et menſtruorum eſt*: nimirum coagulum nihil eſt aliud quam lac in ventriculo pecoris lactentis coctionem paſſum; adeoque dicitur apte calorem habere vitalem; quia coctio non fit niſi a *b* calore, vt eſt animæ vegetalis inſtrumentum; qui proinde vocatur vitalis; quoniam anima ſic eſt vitæ *c* principium, vt quicquid ab ea prouenit, vitale ſit; licet non omne id viuat, & animam ſibi retineat adiunctam; ſed calor in coagulo poſt coctionem reſidens vocatur apte vitalis, quia per actionem vitalem, qualis eſt coctio nutrimenti peracta, cœptaue in ventriculo lactentis, comparatus eſt: vt autem coagulum proportione reſpondet genituræ ſeminique maſculi generantis; ita recte monet Ariſtoteles eamdem eſſe naturam lactis & menſtruorum; quippe lac nihil eſt aliud, quam ſanguinis menſtrui portio purior in mammis per nouam coctionem dealbata, & in lactis ſubſtantiam transmutata: ſic igitur Ariſtoteli ſemen agit in menſtruum, quod eſt materia conceptus, vt coagulum agit in lac: at vero coagulum agit in lac vt agens principale, non autem ſub ratione vlla inſtrumenti; cuius enim agentis

u 2. *De gen. an. cap.* 18.
x *Lib.* 1. *cap.* 46. *Lib.* 2. *cap.* 5.
y 1. *De gen. an. cap.* 20.
z 2. *De gen. an. cap.* 3.
a 2. *De gen. an. cap.* 4.
b 2. *de an. t.* 50.
c 2. *De an. t.* 37.

principalis inſtrumentũ dici poterit ab inſigni viro coagulum? ergo ſemen apud Ariſtotelem agit vt efficiens primarium, nec in formatione fætus operatur vt inſtrumentum parentis. Amplius operatio quælibet magis fieri dicitur ab agente primario, quam ab inſtrumento: quum autem vir 10
præclarus velit ſemen eſſe inſtrumentum ſeparatum a parentibus, a quibus velut ab agente primario ſcribit effici formationem fætus, & partium conceptus conſtitutionem; iam cogitur ipſe confiteri, membra fætus effici potiſſimum ab eo agente, quod eſt extra ſemen; atuero perſpicuis verbis Ariſtoteles inquit hoc eſſe prorſus irrationabile; ſcribit enim, *d Sed hoc loco non ex quo oriantur quærimus, ſed a quo partes corporis generentur; aut enim extrinſecus aliquid, aut in genitura et ſemine inſitum agit; idque aut pars aliqua animæ, aut anima, aut habens animã eſt: ſed ab aliquo extrinſecus agente effici quæque, aut viſcera, aut alia membra, remotum a ratione videtur: fieri enim non poteſt vt moueat quod non tangit, et quicquam ab eo, quod non moueat, afficiatur: igitur in ipſo conceptu aliquid iam ineſt, quod aut pars eius ſit, aut ſeorſum contineatur: ſed aliud quicquam eſſe abiunctum, irrationabile eſt.* Scilicet hic agit ex profeſſo Philoſophus de cauſſa effectrice primaria proxime ac immediate producente partes corporis viuentis; quam dum ait eſſe debere inſitam in ſemine, non autem eſſe valere quid extrinſecum ſemini, & abiunctum a ſemine, funditus euertit Ariſtoteles opinionem Sanctacrucianam, quæ contendit ſemen in formatione partium fætus operari velut inſtrumentum abiunctum a parentibus; ita enim dicere, nihil eſt aliud, quam velle parentes, qui ſunt abiuncti a ſemine, ac extra ſemen a ſe deciſum, eſſe principium, a quo partes corporis generentur; ſiquidem quod gignitur, magis efficitur ab agente primario, quam ab vllo inſtrumento illi deſeruiente. Poſt hæc, ea potiſſimum eſt differentia inter agens primarium, 11
& inſtrumentum ſpeciatim ſeparatum & corporeum; quod agens principale ſuam omnem actiuitatem habet a forma, nullã a materia ſua; viciſſim organum habet ſui actiuitatem a forma, & a materia, vt innuit Ariſtoteles, tum *e* animę tribuens rationem agentis primarij; tum ſerram non ſecaturã aſſerens niſi † ferrea ſit; tum * ſecuri potentiam incidendi dicens ineſſe ab acie, ac a duritie, quæ conditio materialis eſt; in his enim duobus conſiſtit ſubſtantia ſecuris: At Ariſtoteles teſtatur & oſtendit ſemen non agere corpulentia ſua; ſed forma, qualitate, virtuteque ſua, cui non cooperatur materia in conſtitutione conceptus; nam in primis ait, *f Patet igitur nihil ſecerni a maris ſemine eſſe neceſſe; neque ſi quid accedit, idcirco ex eo vt inſito eſſe, quod gignitur; ſed vt ex eo, quod mouerit, & forma vtque a Medicina* (quæ eſt forma Medicum in eſſe conſtituens, ac omnino immaterialis habitus *g* animæ Medici, & agens præcipuum ſanationis, non inſtrumentale vllo pacto) *qui ſanatus eſt: Facta etiam rationi conſentiunt: hinc enim mares nonnulli per coitum nec membrum quidem vllum in feminam indere viſuntur; ſed contra femina in marem, vt in quibuſdam inſectis fit: quod enim in ijs, quæ indunt, efficitur ſemine in femina; idem in mare ipſo vapor, virtuſque efficit, femina admouente ſuam particulam, quæ ſeminis capax eſt: vnde fit, vt genus id animalium diu coeat, abſolutumque breui generet: coniuncta igitur manent, quo-*

d 2. de gen. an. cap. 1.

e 2. de an. t. 7. 24. 37.

† 2. Phyſ. t. 88.

* 2. de an. t. 8. 10.

f 1. de gen. an. cap. 20.

g 2. de an. t. 24. 3. ethi. c. 3 7. meta. t. 23.

uſque

usque constituant, perinde vt genitura constituit, &c. Deinde scribit, *h Sequitur,* h 2. de
vt et dubitemus, et dicamus, si in ijs, quæ semen emittunt in feminam, nulla pars gen. an.
constituendi conceptus sit, quod subierit; quonam vertatur corpulentia eius, quan- cap. 3.
do ipsum facultate, quam in se continet, agit. Deinceps id determinans ibi-
dem mox ait, *Hoc inquam genituræ semen dissoluitur, versumque in spiritum*
euanescit; quum naturam humidam aquosamque habeat: quamobrem an semper
id foras exeat, quærendum non est; neque an pars vlla sit formæ constitutæ; quo-
modo nec de succo, a quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit; nam is quoque mu-
tat; & nulla pars constitutæ magnitudinis est. Semen igitur in formatione
fætus, adeoque in generatione sobolis, non agit vt instrumentum patris,
sed vt agens principale immediatum virtute sua; quum eiusdem operatio-
nis parentes sint caussa efficiens pariter principalis, sed remota, & media-
ta; vt *i* olim etiam adnotauimus in opere De perfecta constitutione ho- i cap. 25.
12 minis in vtero. Dein vero, instrumentum nihil operari potest, nisi dum
actu mouetur ab agente principali, cui per se primo competit ratio caussæ
effectricis: quum igitur semen in vtero, absente patre, illoque semini non
cooperante, nihilque operante, ac etiam corrupto, promouere valeat
actum procreationis, organizationis, & formationis partium; aperte con-
stat semen ex se operans, absque eo quod a patre moueatur, & guberne-
tur, in fætus organizatione, ac in viuentis productione agere vt efficiens
primarium immediatum; non autem vt instrumentum eius, a quo pro-
fluxit. Quam rationem quum alias proposuissem in opere *k* de ortu animæ k lib. 1.
humanæ; nouissime tamen soluere conatus est Medicus Italus Abbatiensis cap. 23.
inquiens, *Philosophum dixisse perinde fieri vt in spontinis;* Ceterum hoc Ari-
stotelis assertum nihil nobis officit agentibus de actione seminis sub ratio-
ne primarij efficientis; tum quia Magister *l* ibi loquitur de actione Cor- l 2. de
dis post functionem seminis, innuens vbi semen in menstruum agens Cor gen. an.
constituerit; cor postea reliqua membra efficere; ait enim, *Sed quum par-* cap. 1. &
tes omnes potentia in materia insint, quum principium mo tonis affuit, semen 4.
videlicet, *perinde vt in spontinis illis miraculis, quod subinde sequitur,* Cor
nimirum, *excitatur* primo genitum ad alias partes omnes postea generan-
das: quod placuit doctissimo *m* Bonamico: tum potius quia in spontinis m 5. de
miraculis, quod subinde sequitur, & excitatur ad agendum, non est in- alim. c. 3.
strumentum prioris agentis, sed agens partiale primarium, at proximius
effectui, quam quod prius mouit: sic vt demus disputationi, Patrem ne-
cessario affuisse principium motionis; quod tamen subinde sequitur semen,
excitatur a propria forma, vel etiam a fine, cuius gratia operatur, ad agen-
dum, non vt instrumentum patris, sed vt efficiens primarium; non me-
diatum, vt pater, sed immediatum, vt Medicus, Consultor, & omnino
faciens; quæ omnia constant ex Aristotele inter caussas effectrices principa-
les, vti est consultor, & medicus, adnumerans non solum *n* patrem, sed n 2. Phys.
etiam *o* semen. Minus officere possunt huic nostro argumento, quæ il- t. 29.
li obijcit Protomedicus Hispanus de differentia instrumenti separati, & o 2. Phys.
coniuncti, dum ait in hanc sententiam. t. 31.

SAN-

p *Pag* 70. SANCTACRVCIVS. *p* Itaque virtus permanens participata (vt existimo) constituit rationem instrumenti separati, virtus vero in esse successiuo, idest, quæ limitat instrumentum ad esse instrumenti coniuncti, requirit actualem dimanationem. Hæc omnia si ab aliquo libere negantur, quomodo possumus philosophari? nam quod sint aliqua instrumenta separata, quæ nullo modo exposcant præsentiam caussæ, sed sufficiat virtus impressa, quæ actualiter faciat directionem, ac si caussa coexisteret, patet ad sensum: Nam proiectus lapis mouetur ad finem determinatum a proijciente, quamuis statim moriatur proijciens: ergo virtus impressa concitauit lapidem in absentia impellentis: ergo non indiguit præsentiali influxu, sed sufficit primus. Ergo similiter de semine animalium dicendum est secundum sententiam omnium optime philosophantium; generant enim animalia extra se proiecto semine, virtute deriuata permanenter in illo existente: ergo necessarium est vt possit operari, & operetur de facto sine actuali influxu generantis *quod*; nam omne, quod potuit recipere, recepit in ordine ad finem: ergo impertinens est noua actualis directio, quum sufficiat primus influxus; in quo virtualiter continentur omnia, quæ pertinent ad finem agentis consequendum, scilicet, vt effectus similis fiat.

LICETVS. Multa siquidem hic offendimus a vero aliena; & illud in primis, quod tamquam ratum supponit, & gratis accipit vir egregius absque vlla probatione, Instrumentum constitui per virtutem operatiuam sibi participatam ab agente primario; quæ virtus si permanens fuerit, constituat rationem instrumenti separati, si vero fuerit successiua, constituat instrumentum coniunctum: Nam instrumentum constituitur in ratione instrumenti per propriam substantiam, hoc est, per conditionem propriæ materiæ, ac per sui formam, & figuram, sibi a suo generante inditam, non autem ab agente primario, cui famulatur: quod aperte monet *q* Aristoteles, innuens Securim, & serram constitui in esse securis & serræ, seu instrumenti per aciem, ac omnino per propriam figuram, & duritiem, a qua propriam habet actiuitatem, hoc est, potentiam secandi: sed agens primarium nihil aliud instrumento præstat, nisi quod eam virtutem organi deducit de actu primo ad secundum, de otio ad negotium; & in eo negotio gubernat, & moderatur; & indeterminatam ad multos fines, nunc potius determinat ad hunc, quam ad alium; faber enim modo securi vtitur ad scamnum efficiendum, modo ad arcam efformandam, modo ad mensam constituendam; at securi faber lignarius ea vtens vt instrumento, sub ratione agentis primarij consideratus non tribuit illi virtutem secandi: sic anima calore vtens vt organo ad *r* coctionem promouendam, calori non tribuit virtutem calefaciendi, sed illius actiuam virtutem moderatur & regit, quum calor ex se retineat a natura vim actuosam. Vnde si semen a parente nanciscitur vim operatricem, ac virtutem agendi; iam dicendum non est esse instrumentum parenti deseruiens vt agenti primario ad operandum. Præterea non discernit vir oculatus caussam instrumenti procreatricem, ab agente primario, cui genitum instrumen-

q 2.*de an. t.* 8. 10. 2.*Phys.t.* 88.

r 2.*de.an. t.* 50.

strumen-

strumentum famulatur: quæ duo licet aliquando coincidere possunt, vt dum faber sibi malleum efficit, quo postea vti potest ad operandum vt instrumento: id tamen accidentale est; nam vt plurimum vnus artifex organum efficit, & alius eo facto vtitur: & absolute productio instrumenti est operatio re distincta ab eius vsu; prius enim faber malleum efficit, deinde distincta functione illo vtitur: ceterum viuens generans vnicam exercet operationem erga semen; si quidem illud tantummodo procreat, vt suum effectum; quo procreato postea cessat ab omni opere erga semen: Quod aperte nos docuit Aristoteles asserens, † semen esse fructum eius a quo prouenit; at quatenus est productiuum viuentis generandi, seu quatenus habet rationem seminis, adeoque vim procreatricem, non respicere id vnde profluxit; sed solum habere habitudinem ad nouum animatum a se generandum: si namque semen vt principium productiuum sobolis esset instrumentum patris; iam æque, vel potius magis respiceret patrem quam sobolem: vt antea notauimus. Deinde vt damus lapidem moueri a proijciente, dum procul is ∫ abest, ac etiam mortuus fuerit; ita negamus a proijciente tunc moueri lapidem per virtutem impressam permanentem, ceu per instrumentum: non solum quia virtus hæc participata nuper dicta est a viro præclaro esse non instrumentum, sed constitutricem instrumenti eius in quo inest: quare Sanctacrucio lapis a proijciente motus per virtutem impressam & participatam sibi a proijciente, fuerit instrumentum quo lapis ipsemet moueretur: at quis vnquam inter optime philosophantes dixerit, lapidem esse instrumentum quo idem ipse lapis a proiectore mouetur? non ergo virtus participata, & impressa ab agente primario constituit id, cui imprimitur, in ratione instrumenti. Sed etiam quia proijciens nullam vim motricem imprimit proiectis a motu distinctam; vt enim primum in contactu proijciens mouet lapidem immediate, nullius interuentu virtutis motricis a se genitæ in mobili, sed solum illud impellit, ac mouet virtute motrice sibi inexistente, ac ipsum mobile impellente; sic tamdiu separatus a proijciente mouetur lapis, quamdiu perdurat in eo motus, & impulsus, qui est effectus motoris in mobili genitus: dum enim mouens mouet mobile, in eo purum putumque motum procreat immediate; non autem prius in eo facultatem motricem producit, a qua motus in mobili deinde procreetur: sed sufficit vt motiuum tangat ipsum mobile, ad hoc vt virtute sua motum efficiat in mobili; quod inquit *t* Aristoteles, constituens a motore moueri mobile tactu, non productione virtutis motricis suæ simili. Præterea vero virtus hæc, quæ lapidi dicitur impressa, & mouere lapidem procul a proijciente, eoque demortuo, nil aliud esse potest quam virtus motiua similis speciei cum illa, quæ in proijciente residens ipsam produxit in proiecto: ceterum virtus eiusdem speciei, quomodo constituet proijciens in genere mouentis primarij, & proiectum in genere mobilis, aut etiam mouentis instrumentarij? viderint sapientes an hoc sit optime philosophari: quum enim forma tribuat *u* esse rei; iam si virtus motiua in proijciente fuerit agens quo primo, constituens agens quod primo; fieri

† 1. *De gen. an. cap.* 18.

∫ 8. *Phys. t.* 32.

t 3. *Phys. t.* 16. 17.

u 2. *Phys. t.* 28. 2. *de an. t.* 37.

fieri nullo modo poterit vt virtus conſimilis ab ea genita in mobili, ſit a-
gens inſtrumentale, conſtituatue agens inſtrumentarium. An dicet vir-
tutem motiuam in lapide genitam eſſe diuerſæ ſpeciei ab ea quæ in pro-
ijciente reſidet? ſed vnde hoc diſcrimen colliget vir catus? eadem vir-
tus eſt eiuſdem mobilis motiua, eiuſdem operationis effectiua; nec varie-
tatem ſpeciei arguit ſola alterius ab altera productio, & dependentia; nam
virtus motiua filij producta a virtute motiua patris, ab ea ſecundum
ſpeciem non diſſidet. Sic ergo nullum inſtrumentum ab agente primario
recipit virtutem operatiuam, ſed ſolum impulſum, & motum. Quum
ergo motus & impulſus non ſit forma permanens, at in ſucceſſione poſi-
ta; quumque Sanctacrucio qualitas in eſſe ſucceſſiuo, ait, conſtituat ſo-
lum inſtrumentum coniunctum in operatione agenti primario; plane
conſentiendum nobis eſt aſſerentibus, nullum inſtrumentum operari niſi
dum actu mouetur ab agente primario, a quo per contactum vel media-
tum, vel immediatum gubernatur. Inſuper quod ad ſenſum appellat vir
eximius, id noſtram ſententiam corroborat; nam ſenſus in proiectione per-
cipit a proijciente lapidem impelli atque moueri immediate; nullam virtu-
tem motricē imprimi vllo modo percipit. Ita ergo vim noſtræ rationis elu-
dere nō poteſt vir inſignis vi ſua illa vulgari a proijciente rei proiectæ per-
perã imprimi putata: rationemq; inſtrumenti non bene conſtituere dicta. 13
Denique vero, cauſſa inſtrumentalis eſt ſecundaria, nec a ſcientifico debet
afferri ad explicandos effectus ſibi propoſitos; qui ſemper in cauſſam prin-
cipalem, quæ prima dicitur & proxima, referendi ſunt: modo ſcientifi-
ce quærens quis effectricem cauſſam proximam hominis, aliam habere
non poteſt niſi ſemen humanum: ergo ſemen eſt agens primarium, non
autem inſtrumentum eius, a quo profluxit. Huius argumenti propoſitio-
x 1. *Phyſ. t. 1.* nes vtraſque ſuggerit Ariſtoteles; cui tum, *x tunc putamus cognoſcere vnum-
quodque, quum cauſſas primas cognouerimus, & principia prima, & vſque ad ele-*
y 2 *Phyſ. t. 27.* *menta*: tum, *y ſcire non prius opinamur vnumquodque quam vtique cœperimus
propterquid circa vnumquodque; hoc autem eſt accipere primam cauſſam; manife-
ſtum quod et nobis faciendum eſt, et de generatione & corruptione, et de omni
phyſica mutatione; vt ſcientes ipſorum principia, reducere ad ipſa tentemus quæſi-*
z 2. *Phyſ. t. 38.* *torum vnumquodque*: tum, *z oportet autem ſemper cauſſam vniuſcuiuſque ſum-
mam quærere; vt & in alijs, vt homo ædificat, quoniam ædificator eſt; ædificator
autem eſt ſecundum ædificandi artem: hæc igitur prior cauſſa eſt: & ſic in omnibus*:
a 8. *Meta. t. 12.* tum etiam, *a Quum itaque quiſquam quænam ſit cauſſa quærat, quoniam multipli-
citer cauſſæ dicuntur, omnes contingentes cauſſas dicere oportet; vt puta hominis,
quæ cauſſa vt materia? nempe menſtrua: quæ vero vt mouens? nempe ſemen:
quæ vero vt forma? quod quid erat eſſe: quæ autem vt huius cauſſa? finis: for-
taſſis autem hæ ambæ idem ſunt. Oportet autem proximas cauſſas dicere; quæ ma-
teria? non ignem, vel terram, ſed propriam*. Si ergo cenſuiſſet Ariſtoteles
in generatione hominis ſemen eſſe agens inſtrumentale, deſeruiens homini
parenti, a quo profluxit; vt opinatur Sanctacrucius; profecto Magiſter
tradens regulam aſſignandi cauſſam effectuum Scientifico, non debuiſſet
cauſſam effectricem hominis primariam negligere, ac inſtrumentariam
afferre; ſed hominis cauſſam effectricem ſalutare debuiſſet hominem ge-

nitorem

nitorem, non ab eo defluxum semen: at nunc Aristoteles homini genitori semen prætulit, quia ratus est semen esse præcipuum & proximum efficiens hominis generandi; cuius hominem parentem videbat esse agens remotum, & id quod rationem generandi sortitur a semine suo; quemadmodum *b* alibi docuit, & nuper adnotauimus. Nec huic nostræ sententiæ quicquam obest, quod Aristoteles alicubi semen appellet *c* instrumentum; quia potius eo loci nostrum dogma contra Sanctacrucium communit Philosophus proprio idiomate scribens, *διόπερ τὸ σπέρμα τῶν ζώων καὶ τῶν φυτῶν, ὄργανόν ἐςιν τῆς ψυχῆς*: hoc est, *Quare semen animalium, & plantarũ, est instrumentum animæ*: nam præterea quod hæc sententia non inest in omni codice Græco, proindeque vetus interpres in suo exemplari eam non habens, ipsam latinam non fecit: quia tamen in Aldino, & in Basileensi codice legitur, & ab Argyropilo visa est in suo, & Latine versa, licet mutilata; dicit enim, *Quapropter semen animalium et plantarum instrumentum est*, non bene omissa particula *τῆς ψυχῆς, animæ*; siquidem semen ad tria comparari potest, nimirum ad animalia & plantas, quæ illo generari possunt; & eorum dicitur esse semen: item ad animalia & plantas, a quibus prouenit; & eorum dicitur esse *d* fructus: tertio ad animam ipsam in semine existentem, & illius dicitur instrumentum; nam anima generatim definita est actus primus corporis naturalis *e* instrumentalis, quod est potentia vitam habens; cuiusmodi esse *f* semen & fructum admonet idem Aristoteles: Qui ergo semen appellat & statuit esse *g* instrumentum animæ; quum *h* mox dicturus sit, omnia corpora tum animalium, tum etiam plantarum esse instrumenta animæ ipsorum; iam aperte statuit Aristoteles semen esse animatum, & eius corpus esse organum animæ propriæ; proindeque totum semen esse agens adæquatum ex primario, & instrumétali agente constitutum; non autem inanimatum instrumentum animati, a quo prodierit, & separatum fuerit; sic enim semen non esset animæ instrumentum, vt ait Aristoteles; sed animalia, & plantæ, contra placitum Aristotelis. Nec etiam nobis obest, quod semen operari videatur more instrumentorum, quæ non sibi operantur, sed agenti primario, seu in gratiam agentis principalis, cui famulantur; & opus agenti primario simile, non sibimetipsis efficere student; quum sint agentia æquiuoca; res autem omnes a primario agente proximo producantur, vt ab efficiente vniuoco, *i* similis naturæ, ac eiusdem speciei; quæ naturæ similitudo non obseruatur inter prolem, & semen; quod eam in actu generationis non sibi similem, sed ei, a quo prouenit, efficere satagit, vt obijcit *k* Sanctacrucius: nam in primis *l* Aristoteles nos docuit semen agere, vt efficiens vniuocum; vniuoci vero ratio consistit in similitudine ac *m* identitate naturæ; sed quod in præsentia latuit Primarium Vallisoletanum, explicandum nobis est ex Aristotele, quomodo semen sit agens vniuocum; & procreando viuens organizatum, generet quid sibi simile: ait igitur Aristoteles, *n Similiter se habent & quæ natura constituta sunt: semen namque facit, sicut ea, quæ ab arte sunt: habet etenim potestate formam, et a quo semen est quodammodo vniuocum (non enim omnia ita oportet quærere, sicut ex homine*

b 2. *De gen. an. cap.* 18.
c 2. *De an. t.* 35.
d 1. *de gen. an. cap.* 18.
e 2. *de an. t.* 7.
f 2. *de an. t.* 6. & 10.
g 2. *de an. t.* 35.
h 2. *de an. t.* 37.
i 2. *de an. t.* 34. 1. *mag. mor. c.* 10.
k *pag.* 69. 70.
l 7. *meta. t.* 31.
m *Prædicam. c.* 1.
n 7. *meta. t.* 31.

homo; etenim mulier ex viro; vnde mulus non ex mulo) sed non si læsura fuerit: nimirum vt artificiosa fiunt ab vniuoco efficiente; quoniam ars, quæ est effectiuum principium artificiosorum principale, est illa forma artificiosa residens in mente artificis, vniuoca aliquomodo formæ simili producendæ in materia artificiali: sic plane semen habet in sua potestate actiua formam viuentis generandi; & viuens, a quo semen prodijt, quodammodo vniuocum est ipsi semini; vt proinde generetur semen ab vniuoco, & idem semen etiam generet vniuocum; quia quæcumque sunt eadem vni tertio, sunt etiam eadem inter se: ceterum tria hæc vniuoca non sunt omnino secundum eumdem gradum; vniuoca tamen sunt absolute: dari vero varios gradus vniuocorum secundum magis & minus, probat Aristoteles eo quia magis vniuoca sunt homo & homo, quam vir & mulier; & hæc, quam mulus & equa & asinus; quoniam homo & homo summe vniuocam naturam habent eo quod obtinent formam specificam eiusdem speciei, ac etiam formam accidentalem organizationis eiusdem speciei: minus vniuocam naturam habent vir, & mulier, quia cum identitate speciei formæ specificæ, variam specie retinent organizationem corporis potissimum in partibus generationi prolis a natura dicatis: adhuc minus vniuocam habent naturam asinus, equa, & mulus; quia diuersam specie sortiuntur tum formam specificam, tum etiam configurationem corporis; quum horum vniuocatio (vt ita dicam) tota consistat in communitate, seu identitate generis proximi; si tamen hæc, mulus inquam, & non mulus, id est asinus, & equa, vniuoca sunt, saltem ratione generis proximi, vt propterea vnum ab alio fieri valeat, ceu ab agente primario, supra omnem organi rationem, extraque omnem instrumenti conditionem; iam semen erit vniuocum tum ei, a quo prodijt; tum etiam ei viuenti, quod procreare potest; nam conuenit cum vtrisque in eadem specie formæ substantialis; vt *o* mox apparebit: semen etenim habet eamdem animam tum vegetalem, tum sensitricem specie cum generante, & generando viuente; dissidet autem ab eis sola corporis organizatione; quo nomine Magister alibi dicit, oua & *p* semina plantarum esse imperfecta viuentia mortalia, quia sunt sine radice; quæ decreto *q* Aristotelis est vnum ex præcipuis plantarum instrumentis. Quare semen animatum existens, licet nondum organizatum, siue non organizatum eo modo, quo perfectum viuens, a quo prodijt, & quod mox generabit; illi tamen vtrique simile est in essentia; quæ similitudo præcipue attenditur ab agente primario, & non consequitur comparaturue ab instrumento proprie dicto. Sed & Aristoteles *r* alicubi dicens, marem vti semine quasi instrumento, tollit a semine veram instrumenti rationem; quod enim quasi organum est, ac velut instrumentum; id vere organum non est, proprieque instrumentum non est. Sic ergo non vere philosophatur primarius Vallisoletanus interdicens semini rationem agentis præcipui, ac ipsum deprimens ad conditionem instrumenti proprie dicti.

o Cap. 4.
p de vit. et mor. c. 14.
q 2. de an. t. 10.
r 1. de gen. an. cap. 20.

Semen

Semen esse animatum ostenditur, et agere virtute animæ propriæ; secus ac opinetur Sanctacrucius. Cap. IV.

DEinde vero, & illud procul abest non solum ab Aristotelis mente, sed
etiam ab omni vero; nec tamen thesim nostram de anima corpori
subdito nil tribuente tangit, quod inclytus Sanctacrucius interdicit semi-
ni vitam & *a* animam; quam nos illi dudum concessimus in opere *b* De a *pag.* 72.
Rō ortu animæ humanæ, & de *c* perfecta constitutione hominis in vtero: in 74.
1 primis enim animatum & viuens non potest oriri, vt ab agente sibi vniuo- b *lib.* 2.
co, nisi a re viuente pariter & animata; quia viuens & non viuens, ani- *cap.* 6.
matum & inanimatum non sunt vniuoca, decreto *d* Aristotelis: verum *& seqq.*
eidem Aristoteli semen operatur sub ratione agentis *e* vniuoci, perinde c *cap.* 25.
atque artifex, vt *f* nuper vidimus: ergo semen, cuius *g* propria functio d *Præd.*
est, viuentem & animatam seu *h* prolem, seu *i* partem constituere, vi- *cap.* 1.
2 uens & animatum esse necesse est. Deinde vero apud eumdem *k* Aristote- e 7.*meta.*
lem omnia quæcumque aut natura, aut arte efficiuntur, ab eo quod actu *t.* 31.
est fiunt ex eo quod potentia tale est: sed viuentia & animata fiunt ex men- f *cap.* 3.
struo, aliaue materia menstruo proportione respondente, quæ est pote- g 1. *de*
state viuens & animata, a semine, ceu ab efficiente, quod tale est, mo- *gen. an.*
tumque habet ac principium tale, vt motu peracto pars existat quæque, *cap.* 18.
eademque sit animata; non est enim facies nisi animam habeat, neque ca- h 2. *de*
3 ro: semen igitur est actu viuens & animatum. Deinceps quod excremen- *gen. an.*
to feminæ affert ac tribuit principium quo animatum fit, animam in se ha- *cap.* 3.
bere debet; quia tale principium est anima; & animam alteri non affert, i 2. *de*
quod eam in se non habet: modo semen affert excremento feminæ in actu *gen. an.*
conceptionis principium, quo tale excrementum fit animatum: ergo se- *cap.* 1.
men actu retinet in se animam: Quæ ratio deducitur ex puris verbis Ari- k 2. *de*
stotelis *l* alicubi dicentis, *Et menstrua semen sunt, quamquam non purum;* *gen. an.*
vnum enim illud non habent, originem et principium anime (animam scilicet *cap.* 1.
vegetalem, quam alias *m* primam animam, & pariter *n* principium ani- l 2. *de*
mæ nuncupauerat) *quamobrem quibus animalibus oua subuentitia gignuntur,* *gen. an.*
partes quidem vtrorumque obtinet ouum institutum; sed principio caret; quapro- *cap.* 3.
pter animatum non est; id enim a maris o *semine affertur; quod principium vbi* m 2. *de*
4 *femina excrementum receperit, conceptus fit.* Insuper, potentia ad actum se- *an. t.* 34.
cundum necessario iungitur & innititur actu primo: sed semina, & con- 48.
ceptus, prius quam partes organizatione separentur ab inuicem, non ha- n 2. *de*
bent animam actu trahentem cibos, actuq; fungentem officio suo nutrien- *an. t.* 47.
di; at potentia, quæ secunda est: ergo semina, & conceptus ante actum o 2. *de*
organizationis habent animam vegetalem, qua viuunt in actu primo: Quæ *gen. an.*
ratio pariter continetur his dogmatibus Aristotelis, *p* *Animam igitur ve-* *cap.* 3.
getalem in seminibus, conceptibus scilicet nondum separatis, haberi potentia sta- p 2. *de*
tuendum est, priusquam eo modo, quo conceptus, qui iam separantur, cibum tra- *gen. an.*
5 *hant, & officio eius animæ fungantur.* Amplius, stirpes vere viuunt, & sunt *cap.* 3.
proprie actuque *q* animatæ: modo semina nihilominus viuunt quam q 2. *de an.*
t. 15. 20. 31.

ſtirpes: igitur ſemina ſunt actu viuentia, proprieque animata: Quod argu-
r 2. de gen. an. cap. 3. mentū pariter nobis ſubminiſtrauit Ariſt. inquiens, r *Conceptum enim ina-
nimatum eſſe nemo ſtatuerit vita omnibus modis priuatum; quippe quum nihilo-
minus ſemina, & conceptus animalium viuant, quam ſtirpes, & aliquandiu pro-
lifica ſunt: ergo animam in ijs haberi vegetalem palam eſt: ſed quamobrem eam
primum haberi neceſſe ſit, ex ijs, quæ alibi de anima diſſeruimus, apertum eſt.* Vl- 6
terius, Geometra dormiens habet habitum ſcientiæ in actu primo ſimul &
in potentia ſecunda ad contemplandum, ſed non immediata; nam debet
prius expergiſci, mutariq; de ſomno ad vigiliam; Geometra vero vigilans,
at non contemplans, habet geometriam in actu primo ſimul & in potentia
ſecunda proxima ad contemplandum; quare vterq;, ſiue dormiens, ſiue vi-
gilans, eſt actu Geometra, & actu ſciens, licet non exeat in actum ſecundū:
modo ſemen ex ſe eſt veluti Geometra non operans, ſeu dormiens, ſeu vi-
gilans, in relatione ad animam: igitur ſemen ex ſe habet animā in actu pri-
mo ſimul & in potentia ſecunda ad operandum. Quam rationem nobis
ſ 2. de an. t. 4. propoſuit Ariſtoteles in duplici loco; primus eſt, vbi ait, ſ *Neceſſe eſt ergo
animā ſubſtantiam eſſe ſicut formam corporis naturalis potentia vitam habentis.* t
t 2. de an. t. 5. *Subſtantia autem actus; huiuſmodi igitur corporis actus: Hic autem dicitur dupli-
citer; alius quidem ſicut ſcientia; alius autem ſicut ſpeculatio: manifeſtum ergo
quod ſicut ſcientia: Ex eo enim, quod ineſt anima, et ſomnus, & vigilia eſt: pro-
portionale autem vigilia quidem ſpeculationi, ſomnus autem habitui non exeun-
u 2. de an. t. 6. ti in actum.* u *Prior autem generatione in eodem ſcientia eſt: vnde anima eſt
actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis.* Ex quo loco habe-
mus animam, quatenus eſt actus primus, comparari ſomno, & ſcientiæ;
proindeque Geometræ dormienti; qui eſt in potentia ad operandum.
x 2. de gen. an. cap. 1. Alter locus eſt, vbi ſcribit, x *Ars enim principium, formaque eius, quod ef-
ficitur, eſt, ſed in alio: motus autem naturæ in ipſo eſt, ab altera profectus natu-
ra, quæ actu obtinet formam. Sed habeat ne ſemen animam, nec ne, ratio eadem
atque de partibus reddenda eſt: nec enim anima vlla eſſe poteſt in alio, niſi in
eo cuius eſt: neque pars vlla eſſe poteſt, quod particeps animæ non eſt, niſi æqui-
uoce, vt mortui oculus: ſemen igitur & habere animam, et eſſe potentia palam
eſt: Propius autem, & remotius idem a ſeipſo potentia eſſe poteſt; vt Geometra
dormiens remotius quam vigilans eſt; iſque remotius, quam qui iam contempla-
tur.* Ex quo loco non ſolum habemus proportionem inter Geometram
y 2. de an. t. 24. ad habitum ſcientiæ, quem actu habet, veluti ſui y formam ſpecificam,
& ſemen ad animam; qua proportione nititur robur argumenti nuper
allati: ſed etiam nouam rationem plane demonſtrantem ſemen eſſe actu
animatum; quia ſemen ita prorſus ſe habet ad animam, vt oculus, & ca-
ro, & alia pars quælibet animantis: modo caro, pes, oculus non eſt niſi ac- 7
tu animam habeat; ſecus enim æquiuoce dicetur, vt pes pictus, & ocu-
lus mortui: ſemen igitur habet in ſe actu animam. Præterea, ſemen ha-
z 2. de gen. an. cap. 1. 3. 7. meta. t. 31. bet animam potentia, vt z ſæpe dicit Ariſtoteles: ergo vel ſemen habet 8
animam in actu primo, & in potentia ſecunda, quæ eſt potentia actiua;
quod vere ſibi voluit Philoſophus; vel ſi ſemen dicatur habere animam in
potentia prima, quæ eſt potentia paſſiua; neceſſario iam idipſum ſemen,
a 9. meta. t. 13. vt notat a Magiſter, aliquando habebit animam actu: ſecus. n. fruſtra foret
illa

illa potentia, quæ nunquam reduceretur ad actum: atuero *b* natura nihil fruſtra patitur. Nec dicat egregius vir, actuari talem potentiam, dum fætus, aut conceptus animatur; quoniam potentia vnius non actuatur per adeptionem formæ in altero; ſed reducenda eſt ad actum potentia in eodem ſemine. Poſtea, corpus naturale potentia vitam habens, in animæ
9 definitione poſitum ab *c* Ariſtotele, habet animam ſui actum primum; ſiquidem anima definitur eſſe actus primus corporis naturalis potentia vitam habentis: modo ſemen *d* Ariſtoteli eſt huiuſmodi corpus naturale potentia exiſtens vt viuat, ſiue potentia vitam habens: ergo ſemen habet in ſe animam, veluti ſui actum primum. Adijciendum his eſt, quod ſe-
10 mea ita ſe habet ad animam, vt etiam fructus; quod aperte decernit *e* Ariſtoteles: modo fructus ſunt viuentes, & habent animam actu; tum quia ſunt corpora naturalia *f* organica; quorum omnium animam eſſe actum primum conſtituit idem *g* Ariſtoteles: tum quia fructus & in arbore nutriuntur, augenturque; quas certum eſt eſſe functiones *h* vitæ, ab anima fructuum prodeuntes; & extra arborem matureſcunt; quæ maturatio eſt coctio; quam coctionem calor ſolus *i* vitalis molitur, vt animæ præſentis & operantis inſtrumentum, doctore Ariſtotele: quinimmo eodem Magiſtro ſemen & fructus ſunt vnum & idem reipſa, differuntque ſola ratione; dicit etenim, k *Semen et fructus inter ſe differunt, prioris poſteriori ſque ratione; fructus enim, quod ex alio eſt; ſemen, ex quo aliud; nam alias ambo idem ſunt:* ſed eorum quæ ſunt idem re, ac ſola ratione differunt, non poteſt vnum eſſe actu viuens & animatum alterum actu inanimatum & non viuens; quia viuentis, & non viuentis; animati, & inanimati differentia realis eſt, & facit aliud: Quum itaque fructus viuant, actuque ſint animati; namque nutriuntur, & matureſcunt etiam extra plantam, & habent corticē, pulpam, oſſa, aliaſque partes *l* inſtrumentales, & determinatam figuram;
11 quæ ſolis animantibus inexiſtunt: iam neceſſario colligendum eſt, ſemen eſſe viuens, & actu animatum. Vlterius, oua hypenemia, quæ a femina fiunt ſine *m* maſculi coitu, quum correſpondeant proportione *n* menſtruis, & excremento feminæ, quod ex ſe animatum non eſt, minus anima participare debent, quam ſemen maſculeum, cuius vnius *o* beneficio poſſunt in pullos animari: ſed oua hypenemia, docente *p* Ariſtotele, viuunt, & actu animata ſunt, non ſolum in aluo feminæ ouiparæ, in quo nutriuntur, & augentur, varietate partium donantur, pelliculis, & cortice conteguntur, ceu inſtrumentis ad arcendas exteriores iniurias opportunis; verum etiam extra vterum, vbi eo argumento viuere illa demonſtrat Ariſtoteles, quia morte pereant; mori autem non poſſe quidquam niſi viuens, & animatum: igitur multo magis animalium eorumdem ſemina viuere, & actu animata eſſe neceſſe eſt; magis inquam, quia non ſolum vegetali, ſed etiam ſenſuali anima pollent: ratio vero deducitur ex his, quæ profitetur Ariſtoteles inquiens, *q* *Quæſtionem vero propoſitam ratione non carere, patet in auibus, quæ oua ſubuentanea pariunt; quum femina aliquatenus poſſit generare; quod & ipſum recipit quæſtionem, quonam modo oua eorum dicuntur viuere: nec enim ita, vt oua fecunda poſſunt; ſic enim actu*

anima

b 1. *cæl. t.* 32.
2. *cæl. t.* 50.59.
1. *de part. c.* 1.
c 2. *de an. t.* 6.
d 2. *de an. t.* 10.
e 2. *De gen. an. cap.* 18.
2. *De an. t.* 10.
f 2. *de an. t.* 6.
g 2. *de an. t.* 7.
h 2. *de an. t.* 3. 34. & *ſeqq.*
i 2. *de an. t.* 50.
k 2. *De gen. an. cap.* 18.
l 2. *de an. t.* 6.
m 2. *De gen. an. cap.* 4.
n 2. *De gen. an. cap.* 3.
o 2. *De gen. an. cap.* 4.
p *ibidem.*
q *loc. cit.*

animatum ex ijs efficeretur: neque ita se habent ista, vt lignum, aut lapis; quippe
quæ corruptione aliqua pereant, vt quæ vitam quodammodo ante participarent:
Constat igitur hæc aliquam habere potentia animam (loquitur de potentia se-
cunda & accidentali ad operationem, siue ad actum secundum, vt etiam

r 2. de gen. an. cap. 3. 2. de an. t. 53.

r alibi) *sed quam? istam vltimam prorsus habeant animam necesse est, quæ*
vegetabilis est; hæc enim æque in omnibus tam animalibus, quam plantis inest: sed
cur partes organizatione, *& animal non efficiant? quia sensualem animam ha-*
bere ea oportet; non enim animalium partes ita sunt, vt plantarum: quamobrem
maris societate opus est; mas enim a femina separatus in ijs est; et quidem sic vsu
euenit; subuëtanea enim illa fecunda redduntur, si mas coiuit tempore quodam de-
terminato, quo possint eius aspergi semine; a quo solo sibi sensualem ani-
mam adipisci valent. Præterea vero quæcumque per mortem corrumpun- 12
tur, ea necessario viuentia sunt, & actu animata; siquidem mors est pro-
pria passio viuentium, & actu animatorum, nulli rei alteri communis, non
enim potest vlla ratione mori, nisi quod viuit; quippe mortale, & im-

s cap. de diff.

mortale sunt specificæ s differentiæ viuentis & animati, vel obseruatione

t cap. 14.

Porphyriana: Cæterum Aristoteles in opusculo suo t De Vita & morte
perspicuis verbis recenset inter viuentia mortalia non solum perfectam
naturam organizationis adepta stirpium secla, & animalia; sed etiam quæ
carentia membris, completa organizatione absolutis, imperfecta nuncu-
pat, animalium oua, plantarumque semina: sic ergo non oua solum, sed
pariter plantarum semina, proindeque multo magis animalium semina ijs
nobiliora, & adeo semina omnia decreto Aristoteleo connumeranda sunt
inter viuentia, & actu animata: Verba quidem Magistri clarissima sunt;
ait enim, *Est igitur omnibus animalibus commune generatio, & mors: modi au-*
tem differunt specie; non enim indifferens corruptio, sed habet aliquid commune;
mors enim est, hæc quidem violenta, illa autem secundum naturam: violenta qui-
dem, quando principium extrinsecus fuerit: secundum naturam autem, quando
in ipso, et partis consistentia ex principio talis, sed non aduentitia aliqua passio: In
plantis igitur ariditas, in animalibus autem vocatur hæc, senectus. Est autem
mors et corruptio omnibus similiter non imperfectis; his autem, idest imperfectis,
assimiliter quidem, alio autem modo: Imperfecta autem dico, vt oua, & semina
plantarum, quæcumque sine radice: Omnibus igitur corruptio fit propter calidi de-
fectum, perfectis autem, in quo substantiæ principium: hoc autem est quemadmo-
dum dictum est prius, in quo sursum & deorsum copulentur; plantis quidem me-
dium germinis et radicis; animalium autem, sanguineis quidem cor; exangui-
bus autem proportionale. Posterius, plantarum semina viuunt, & sunt actu 13
animata: semina ergo animalium, adeoque semina omnia sunt viuentia,

u 2. De gen. an. cap. 1.

& actu animata: consequentiam deducit u Aristoteles asserens, anima-
tum inanimato præstare propter animam, & viuere quam nonuiuere me-
lius esse omnino; quum certum cuique sit, animalium semina esse præstan-
tiora stirpium seminibus: sed & antecedens probatur ex eodem Aristote-
le, cui plantalis anima sic est coextensa corpori stirpis, vt ad eius diuisio-
nem sit diuisibilis; adeoquæ plantæ diuisæ singula pars seorsum sibi reti-
neat animam, qua viuat; quum autem fructus & semina plantis adiun-
cta viuant velut aliæ illarum partes, quæ nutriuntur & augentur; procul
dubio

dubio dum ſeparantur a ſua ſtirpe ſemina, remanent etiam animata; vt dum ab eadem ſeparantur aliæ partes quæcumque ſeu ramorum, ſeu radicum, ſeu ſtipitis; quippe ratio eadem eſt omnium partium in propoſito; quia ſimiliter anima plantæ diuiſibilis eſt, vnaque numero actu in tota integra planta, & multiplex poteſtate ad partium multitudinem: Quam rationem non vno in loco nobis innuit Ariſtoteles; primo quidē inquiens, x *Videntur autem & plantæ viuere diuiſæ, & animalium inſectorum quædam, tamquam eamdem habentia animam ſpecie, etſi non numero: vtraque enim partium ſenſum habet, & mouetur ſecundum locum ad aliquod tempus.* y *Si autem non permanent, nullum inconueniens eſt; inſtrumenta enim non habent, quibus ſaluent naturam; ſed nihilominus in vtraque partium omnes inexiſtunt partes animæ; et eiuſdem ſpeciei ſunt ad inuicem, et toti; ad inuicem quidem, tamquam quæ non ſeparabiles ſunt; toti autem animæ, tamquam indiuiſibili exiſtente*, ſcilicet in partes diuerſæ naturæ. z *Videtur autem & quod in plantis principium, anima quædam eſſe: hac enim ſola communicant & animalia, et plantæ: et hæc quidem ſeparatur a ſenſitiuo principio; ſenſum autem nihil ſine hoc habet.* Secundo vero dicens, a *Sicut enim in plantis quædam diuiſæ videntur viuere, et ſeparatæ ab inuicem; tamquam exiſtente in his anima, actu quidem vna in vnaquaque planta, potentia autem pluribus; ſic videmus & circa alias differentias animæ accidere in his, quæ inciduntur in inſectis: etenim ſenſum vtraque partium habet, & motum ſecundum locum: ſi autem ſenſum, et imaginationem, & appetitum: vbi enim ſenſus eſt, & dolor et voluptas conſequitur: vbi autem hæc ſunt, ex neceſſitate deſiderium eſt.* Vnde conſtat, animas omnes, vegetalem ſcilicet, ſenſitricem, ac motricem, vna excepta rationali, eſſe diuiſibiles ad partitionem ſubiecti, cui coextenduntur; adeoque remanere in partibus ſeparatis; & proinde in ſemine, quod a viuente ſeiunctum fuerit; vt olim etiam oſtendimus agentes *b* De ortu animæ humanæ, *c* deque perfecta conſtitutione hominis in vtero. Amplius, quod ſola mutatione accidentali, ſolaque alteratione, quæ fit ſecundum paſſiones, vt ait *d* Ariſtoteles, conuertitur in maſculum, aut feminam, id neceſſario eſt animatum, & animatum anima ſenſitrice; nam maſculus, & femina diſtincta non ſunt niſi in genere animalis; animal autem conſtituitur in eſſe per animam *e* ſenſitricem; animatum autem ex inanimato, & animal ex nonanimali fieri nequit per ſolam mutationem ſecundum paſſiones, ac per ſolam alterationem: modo Philoſophus agens ex profeſſo de differentia maris & feminæ in eadem ſpecie animalis, inquit, *f Maſculus autem, & femina propriè quidem animalis paſſiones ſunt,* non communes, quæ demuntur ab accidentibus ſeparabilibus; ſed propriæ, quæ nituntur accidentibus inſeparabilibus; *ſed non ſecundum ſubſtantiam;* quia non ſunt ſpecificæ differentiæ, forma eſſentiali notatæ; *Verum in materia, &* corpore varietatem deſignat, iuncta formæ ſubſtantia. *Quare idem ſemen aliquam paſſionem paſſum, aut femina, aut mas fit,* per ſolam diuerſitatem organizationis: igitur ex Ariſto-
15 tele ſemen conſtituendum eſt eſſe animatum eadem prorſus anima, qua pollet illud viuens, quod ex ipſo generatur. Sic ergo conſtat apertiſſime, peripatetice philoſophantem non poſſe niſi ſemen animatum actu, ac viuens eſſe profiteri. Quod optime nouit *g* Simplicius, cui ſemen nihil eſt

aliud

x *1. de an. 93.*
y *1. de an. t. 94.*
z *1. de an. t. 94.*
a *2. de an. t. 20.*
b lib. 2. cap. 7.
c *cap. 6.*
d *1. de gen. t. 23. 24.*
2. de gen. an. cap 3. et 4.
2. de an. t. 16. 17.
f *10. meta. t. 25.*
g *1. de an. com. t. 42*

aliud quam fætus imperfectus, hoc est nondum organizatus; fætus enim animatus est, ac viuit ante perfectionem organizationis ab ipso conceptionis exordio; siquidem Aristoteli *h* conceptus fit, vbi excrementum feminæ susceperit a semine maris principium, quo animatum est; id autem nihil est aliud, quam anima. Sed & Galenus ipse consentiens Aristoteli, reclamansque Sanctacrucio, semini tribuit animam, quam esse vult caussam effectricem organizationis, ac formationis partium fætus; ait enim agens ex professo de semine, *i* semen primum omnium habere principium vegetabile, quod non ex sanguine, sed ex ipso semine arteriam, venam, neruum, os, & membranam efficit: constituitque vim formatricem esse animam vegetalem, vel eius facultatem in semine residentem: Immo semini dederat idem Galenus *k* alibi rationem opificis; vnde non solum id esse animatum, sed etiam efficiens primarium esse decernit. Quin & alio in *l* loco scribit, *Quare necesse est statim ex ipso maris semine naturæ facultates, quibus format, auget, nutritque animal, esse præsumere.* Non negabit autem primarius Vallisoletanus, vt facit de *m* formatrice, facultatem auctricem, & nutritoriam animalis, nunc a Galeno semini concessam, inesse animæ, vel animam habenti; nisi cum Empedocle perperam philosophari velit, cuius opinionem in proposito recte proscindit *n* Aristoteles. Apertissime vero Sanctacrucianam opinionem explodit libro suo de *o* de Marcore Galenus inquiens; *Quum autem marcor (vt diximus) sit viuentis corporis corruptio; triaque sint viuentium genera, animalia, stirpes, ac semina; et ob hæc etiam fructus: horum proprie marcor affectus esse dicitur.* Vt iam hoc theorema, quo nos *p* alibi decreuimus, semen esse viuens, & actu animatum, tot rationibus ex rei natura desumptis communitum, totque decretis Aristotelis, & Galeni roboratum, aperte demonstret oppositum Sanctacrucij placitum, animam & vitam semini prorsus interdicentis, esse falsum, & non Philosophiæ solum, sed etiam Medicinæ neruis, ac succo destitutum. Quod ex eo quoque conuincitur, quia Regius Archiatrus asserens, virtutem organizatricem, ac formatricem partium conceptus, insitam insidentemque semini, non esse *q* animam, neque qualitates *r* elementales, quibus correspondere dicit ossium duritiem, & carnium mollitiem; quum virtuti formatrici correspondere statuat partium figuram, & ordinem, reliquaque ad organizationem attinentia; noua sua philosophia præter animam, & res elementarias in corporibus nostratibus comminiscitur tertium quid vir eximius; quod commentum plane conuellit Aristoteles, *s* vbi præter animam, & res elementares, tertium quid in viuentibus nostratibus non admittit. At dicet Sanctacrucius esse virtutem ab anima profectam in semen; *t* dicit quidem, sed male virtutem illam collocat in corpore seminis, in quo censet nullam inesse animam: quia virtutes, & facultates operatrices ab animæ substantia defluentes, aut non re, sed sola ratione distinguuntur ab anima; vt nos late demonstrauimus in opere De *u* Intellectu Agente; aut, si sunt accidentia realiter distincta ab animæ substantia, vt opinatur Diuus *x* Thomas, semper tamen animæ copulantur, a qua in esse dependent,

h 2. *de gen. an. cap.* 3.
i 1. *lib. de sem c.* 10
k *de format. fæt. cap.* 5.
l 2. *de nat. fac. cap.* 6.
m *pag.* 61. 81.
n 2. *de an. t.* 38. *et seqq.*
o *cap.* 1.
p 2. *de ort. an. hum. & lib. de perf. const. hom. in vtero.*
q *pag.* 72. 74.
r *pag.* 77.
s 2. *de gen. t.* 45.
t *pag.* 72.
u *lib.* 2. *cap.* 26.
x 1. *par. qu.* 77. *et seqq.*

dent, nec sine illa vnquam reperiuntur, vt lumen nullibi reperitur *y* sine præsentia lucidi, a quo prouenit; quod omnes arbitrantur, quicumque facultates ab anima profluentes, ab ea re distingui putauerunt: animæ vero facultates lumini comparari, constat tum ex Aristotele non *z* semel intellectum asserente similem esse lumini; tum ex ipsomet Galeno, facultatem motricem per neruos imperuios permeare dicente, vt *a* lumen per aerem, & aquam diffundi conspicitur: at Sanctacrucius facultatem organizatricem, eiusque exemplo pariter alias, hic loco & subiecto separat ab anima, cuius est virtus, vt præter omnium opinionem, ita præter omnem veram philosophandi rationem; qua docemur, facultates animæ, virtutesque, ac potentias naturales, esse inseparabiles ab anima, cuius sunt virtutes & facultates: an erit *b* potentia currendi, aut pugillandi, aut sa-
17 lubritas, sine cursore, vel pugili, vel salubri? Præterea spiritus vitalis in eo corpore non potest inesse, quod non sit actu viuens & animatum; siue dicatur vitalis, quia vitam afferat, vt putant Medici; siue quia sit effectus vitæ, siue quia profectus a vita sit, & vitam conseruet ac tueatur: modo semen plenum esse spiritu vitali concors *c* Aristoteli constituit *d* Galenus, qui perspicuis verbis contestatur id Aristotelem dixisse: nostrum ergo placitum, quo sanciuimus olim semen esse viuens, & actu animatum, vt ex Aristotelis, & Galeni doctrina deriuauit in mentem, & commentationem nostram *e* De ortu animæ humanæ, ac de *f* Perfecta constitutione hominis in vtero; ita & Philosophiæ neruis pollere simul & Medicinæ succo refertum esse dicendum est, frustra contradicente, sed non contraprobante Sanctacrucio. Procul dubio Philosophiæ Peripateticæ neruis destitutum est illud placitum, quo constituit Hispanus hic Doctor, virtutem formatricem partium, ac generatricem fætus, a parentibus inditam semini, & infra naturam animæ collocatam ab insigni viro, sine parentis opera, qui mortuus esse potest conceptionis, & organizationis tempore, producere partes animatas, & animam ipsam in fætu, eleuatam & gubernatam a summo *g* Deo, qui primus rerum omnium efficiens caussis imperfectis succurrit: etenim nosse debuerat vir inclytus, hoc effici quidem a Deo supernaturaliter operante, non effici vero a Deo *h* physice caussis secundis cooperante: quare physicum argumentum tractans Regius Archiatrus, non debuit a Theologia sibi auxilium petere; quum *i* Aristoteles decreuerit, Non licere scientifico transcendere de genere in genus; at hic rei difficultate pressus ac pene oppressus, ad Aram confugit, Diuinumque sibi auxilium implorauit Sanctacrucius, Tragicos illos imitatus, qui fabulæ solutionem naturalem ex arte sibi non inuenientes, ad Deum confugiunt, aut ad consimilem quampiam aliam machinam; quod genus philosophandi (si quidem hoc philosophari dicendum est) non solum reprehendit *k* Lucretius, eos redarguens, qui.

Quorum operum caussas nulla ratione videre
Possunt, hæc fieri Diuino numine rentur.

Sed etiam Aristoteles, tum asserens, *l* manifestum esse fabularum solutiones ex ipsismet potissimum fabulis proficisci debere, non autem ab ali-

y *2. de an. t. 69.*
z *3. de an. t. 18. 3. rhetor. cap. 10.*
a *7. de plac. c. 4. 1. de sympt. cau. cap. 5.*
b *Prædicam. Qual.*
c *2. de gen. an. c. 3.*
d *1. de sem. cap. 5.*
e *lib. 2. cap. 5.*
f *cap. 6.*
g *pag. 68. 69. 74.*
h *2. physs. t. 73. 1. cæl. t. 100. 12. meta. t. 52. & seqq.*
i *1. post. t. 56.*
k *lib. 6.*
l *poet. cap. 12.*

quo artificioso: tum præcipiens vnicuique scientifico, vt propositorum effectuum caussas proximas, & proprias afferat; non autem communissimas, & remotissimas; *Oportet autem,* m inquit, *semper caussam vniuscuiusque summam quærere, vt et in alijs, vt homo ædificat, quoniam ædificator est; ædificator autem est secundum ædificandi artem: hæc igitur prior caussa est; & sic in omnibus*. n & alio in loco scribit, *Quum itaque quisquam quænam sit caussa quærat, quoniam multipliciter caussæ dicuntur, omnes contingentes caussas dicere oportet; vt puta hominis, quæ caussa vt materia? nempe menstrua: quæ vero vt mouens? nempe semen: quæ vero vt forma? quod quid erat esse: quæ autem vt huius caussa? finis: fortassis autem hæ ambæ idem sunt. Oportet autem proximas caussas dicere; quæ materia? non ignem, vel terram, sed propriam*. Ceterum hæc non curans Sanctacrucius effectum naturalem in caussam non solum remotissimam, sed in supranaturalem ac mere theologicam retulit: & agens de rebus physicis permiscuit illis nullo glutino cohærere valentes theologales, nimirum potentias a Theologis appellatas o obedientiales: quasi liceret in Philosophia, quæ pabulum est animorum, vt ait Macrobius in p Saturnalibus, & ante Macrobium q Athenæus in suis Dipnosophistis, farcimina conficere, vt Hispani coqui pulmentum ex omni eduliorum genere conferciunt, quod sua lingua nuncupant, *Olla podrida*: Diuus enim Thomas vt in Theologia quandoque potentijs obedientialibus cognominatis vtitur apte; eas tamen non affert vnquam in Commentarijs ad Aristotelem adhibitis, ac vbi Physiologus agit. Quæ vero posterius addit Sanctacrucius, quum dogmata nostra nihil omnino tangant, non opus est vt in ijs examinandis immoremur. Sed tamen ad huius nostræ responsionis complementum, vt vnicuique scholium hoc legenti pateant rationes, quibus nos olim nostrum theorema de formis materiæ substratæ nihil impertientibus, a Sanctacrucio falsitatis, ac imbecillitatis accusatum, fulciuimus; eædem nunc referendæ sunt, si forte ab Accusatore diligentius inspectæ, ac intimius introspectæ, illum ad saniorem sententiam reducant: Qui si earum veritati parere, ac debitam nobis palinodiam canere recusauerit; hæ nostram caussam ad tribunal Sapientum in Areopago litterario repetitæ tuebuntur.

m 2. *Phys. t.* 38.
n 8. *Metat. t.* 12.
o *Pag.* 68 90.
p *In præf.*
q *Lib.* 6. *cap.* 20.

Formas in materia bifariam existere posse, & vt actus in subiecto, & vt res locata in vase. Cap. V.

QVoniam vero, vt a alibi diximus, forma, & anima bifariam in materia, & in corpore in esse valet; nimirum vt actus, & perfectio in proprio subiecto; & vt contentum in vase, nihil ad eam pertinens: videndum est, quomodo anima, quæ est agens vniuocum animantia spontenascentia procreans, præexistat in materia spontaneæ generationi dicata. Sed in primis fieri posse, vt forma insit in aliqua materia, nihil illi tribuens, nihilque ad eam pertinens, nec per se, nec per accidens; sed vt in vase, atque in loco; multa sunt, quæ nobis aperte demonstrent: quæ sigillatim explicanda sunt; quia dogma est hoc non ita tritum, nec ita facile

a 2. *De spōt. viu. ortu. cap.* 28.

facile captu; & in quo cardo fere conſiſtit veræ ſententiæ de natura efficientis vniuoci procreantis animantia ſponte naſcentia; nam formas in materia reperiri plurimas vt actus eam perficientes, ita notum eſt omnibus, vt nullius indigeat probationis. In propoſito autem ſciendum eſt, formarum multa eſſe genera; quæ ex rei natura beneficio diuiſionis inuenienda, & diſtinguenda ſunt. Forma etenim abſolute diuiditur in accidentalem, & ſubſtantialem: accidentalis forma eſt vt ſcientia; quæ forma eſt intellectricis animæ, apud *b* Ariſtotelem; vt etiam imagines ab obiectis ſenſibilibus per medium ad organa ſenſuum vtcumque tranſlatæ; quo nomine ſenſus *c* Ariſtoteli dicitur eſſe receptiuus ſpecierum ſiue formarum ſine materia. Forma vero ſubſtantialis duplex eſt item; alia eſt forma ſecundum analogiam, alia eſt forma proprie dicta; ſecundum analogiam forma eſt ignis tum in miſto, tum etiam in mundo relatus ad alia elementa; vt *d* alicubi monet Ariſtoteles: forma vero proprie dicta duplicem aliam habet differentiam; nam alia eſt forma aſſiſtens, vt *e* nauta; alia eſt forma informans: quæ pariter ſubdiuiditur in formam totius; quæ eſt pura eſſentia compoſiti contradiſtincta mentis opere, ſeu etiam a parte rei ſeparata ab omnibus eiuſdem compoſiti accidentibus; atque in formam partis appellatam; quæ eſt altera, & præcipua pars eſſentiæ, ac omnino primus actus materiam eſſentialiter perficere natus. Omnibus hiſce formis commune eſt, habere materiam aliquam ſibi ſubſtratam; & in ea eſſe valere tum vt actus ipſam perficientes; tum etiam quoquopacto vt in vaſe, nihil materiei ſubiacenti conciliantes: Quod poſtremum nobis eſt diligenter explicandum; quando alterum vnicuique patet.

b 2. de an. t. 24. 3. de an. t. 3. 6. 38.
c 2. de an. t. 121.
d 2. de gen. t. 50 8. Phyſ. t. 28.
e 2. de an. t. 11.

Formas accidentales eſſe valere in ſubiecto vt in vaſe, nihil illi conciliantes. Cap. VI.

RÕ 1 Accidentales porro formas in materia vt in vaſe reperiri poſſe, nihil ad eam attinentes, notum in primis eſt ex formis ſenſibilibus ab obiectis coloratis in medio productis; ſpecies enim iſtæ viſibiles in medio perſpicuo reperiuntur pure vt in loco, nihil ad eſſentiam illius diaphani pertinentes, neque per ſe, neque per accidens; nam illud non actuant, neque perficiunt vlla ratione; quippe actus diaphani eſt *a* lumen apud Ariſtotelem, non autem coloris imago in illuminato perſpicuo degens; quandoquidem propria functio imaginis colorum eſt tum repreſentare obiectum viſibile; tum ſuſcitare facultatem viſoriam ad eiuſdem obiecti cognitionem; tum reddere formaliter actu viſibile obiectum, quod repreſentat; id enim fit actu viſibile a *b* lumine, vt ab efficiente; ac per ſuam imaginem in medio, vt per formam: Modo aer illuminatus, a ſpecie coloris in ſe ſuſcepta nec redditur viſibilis; quia natura diaphani eſt *c* inuiſibilis; aut ad ſummum viſibilis vnius beneficio *d* luminis. quod illi gerit vicem coloris decreto Ariſtotelis; Nec vero ſpecies coloris aerem ſuſcitat ad viſionem: nec aeri viſibile repreſentat obiectum;

a 2. de an. t. 69.
b 3. de an. t. 18.
c 2. de an. t. 68.
d 2. de an. t. 68. 69. 70. de ſem. & ſem. ca. 5.

vt omnes norunt: Quare forma hæc in aere illuſtrato ineſt nihil ad ipſum pertinens; aſt vt in vaſe, ſiue in loco, atque ex mera neceſſitate materiæ; vt ineſt calor in aqua feruida; ſiquidem perſpicuum illuſtratum, a præſente colorato non potuit non in ſe admittere illius imaginem. Conſimi- RŌ
liter etiam imago puellæ ſe ad ſpeculum exornantis, in eo eſt vt in loco, & 2
vaſe, nihil ad illud attinens. Non diſſimili ratione calor in aqua ignis actio- RŌ
nem paſſa, ineſt vt in loco, ac ex neceſſitate materiæ. Pariter habitus Geo- 3
metriæ, qui forma eſt accidentalis, reperitur in Dormiente Geometra, vt RŌ
in vaſe, nihil illi conferens; namque haud poteſt ſecundum eum habitum 4
contemplari Geometra dormiens; cui expergefacto ſtatim habitus ille ſe ſe communicat in formam perficientem, eumque actu Geometram efficientem, vel *e* Ariſtotelis obſeruatione. Haud aliter ab eodem *f* Ariſtotele intellectrix anima dicitur locus formarum; in qua pleræque aliquando inſunt vt in vaſe. Verum enim vero appoſitiſſimum propoſiti exemplum habemus in doctrina Platonica (quam Medicus Sanctacrucius non poterit non admittere cum Galeno) nimirum Platonici vulgo ſtatu- RŌ
unt, inſitas eſſe atque innatas in humanis animis rerum omnium notio- 5
nes; quæ ab ortu intellectum puelli minime perficientes ob earum exilitatem, in eo ſunt velut in vaſe; at ſi vel a præceptore, vel ſtudio excolantur; ſtatim viuidiores effectæ notiones illæ ſe ſe exhibent mentibus noſtris in habitum, & in formam ipſas perficientem; conſtituuntque intellectum in habitu, ſiue ſcientem, qui prius ignarus exiſtebat: quæ omnia conſtant in Menone, atque alibi paſſim apud Platonem. Quin etiam Theologi no-
ſtri (quos non ſemel adhibet ſuorum dogmatum comprobatores in ſuo RŌ
volumine Sanctacrucius) concedentes Angelis rerum omnium ſpecies im- 6
preſſas, eorum mentibus *g* concreatas; pleraſque illarum ante rerum ſuarum, ac futurarum cognitionem (noſcunt enim Angeli non omnia ſimul, ſed præſentia ſolum ex ſui natura, & hoc poſt hoc) eaſdem ſpecies rerum nondum ab Angelo cognitarum, in eo velut in vaſe, ac minime illius intellectum actuantes perficienteſque ineſſe confiteri coguntur; quæ ſpecies poſtea rerum Angelis præſentium cognitione in habitum mutatæ, menti Angelicæ ſe ſe in formam, & habitum communicant, & impertiuntur. Ita ergo conſtat, formas accidentales in materia eſſe valere, vt in vaſe, cuius nihil omnino ſint; cuiue nihil omnino conferant per multum temporis interuallum.

e 2. de gen. an. cap. 1. inf.
f 3. de an. t. 6.
g D. Thō. 1. part. qu. 56. et ſeqq.

Formam analogice dictam de genere ſubſtantiæ in materia eſſe poſſe velut in vaſe. Cap. VII.

FOrmam quoque illam inter ſubſtantiales, quæ ſecundum analogiam dicitur, in ſubiecta ſibi materia eſſe valere velut in † vaſe, illam minime perficiendo, intimius inſpecta rei natura conſtabit aperte. Huiuſmo- RŌ
di namque forma dicta eſt eſſe ab *a* Ariſtotele ignis in miſtis erga cetera 7
elementa: & profecto ignis in calce noua ineſt latens vt in vaſe; quippe calx frigida eſt tactui, nec vrit; vbi vero calci recenti aqua fuerit affuſa, illico

† 2. de ſpont. viu. ort. cap. 30.
a 2. de gen. t. 50.

illico latens intra eam ignis exerit se se in euidentem flammam, seseque materiei dudum substratæ nouissime communicat in formam misti a prædominio ignei; non est enim nouus ignis ille genitus ab aqua; quoniam contraria mutuo se se *b* corrumpere student natura sua; nec *c* vllum alterum generat; quum omnis essentia sibi *d* similem procreet. Nec est nouiter effulgens illa flamma ignis expansi concentratio in angustum cētrum calcis, & concentrati viuificatio, vt vulgo dici consueuit; quia in omni misto ita sunt ad inuicem *e* confusa elementa, vt quælibet misti portio, quantumuis exilis, mista sit; nec vnum elementum in misto ab alijs separari valeat, & in vnum cogi locum, citra misti corruptionem: calx enim affusione aquæ inflammata non corrumpitur. Sed flamma illa ex humectata calce surgens nihil est aliud, quam latentis, ac veluti dormientis ignis excitatio; qui excitatus, calcis materiam perficit actuans in flammam; quæ contrariam sibi aquam depascere, consumereque conatur; nempe vt cineres sunt partes terrea lignorum; ita sane calx est lapidum terrena portio; virtute namque ignis comburentis portione lignorum & lapidum aquea in aerem, & aerea in ignium flammas explicata, iuxta illud *f* Lucretianum,

b *1. Phys. t. 81.*
c *1. Phys. t. 51.*
d *1. mag. mor. cap. 10.*
e *1. de gen. t. 86.*
f *lib. 2.*

Non alia longe ratione atque arida ligna
Explicat in flammas, et in igneis omnia versat

comburens ardor: remanet sola terrea portio in cinere & calce; in quibus calor continetur, & ignis, vt in loco, *g* Aristotelea obseruatione; qui quidem ignis mox calci aqua affusa, & cineri, euadit in formam & lixiuij, & flammæ de calce micantis: est etenim vt cinis lignorum cadauer; ita calx veluti lapidis combustione demortui cadauer. Sic ergo constat substantialem formam analogice dictam in materia contineri posse vt in vase aliquandiu nihil subiecto exhibentem.

g *2. de part. cap. 2.*

Formas substantiales assistentes in materia subdita contineri posse, velut in vase, illi nil tribuentes. Cap. VIII.

SEd *a* etiam formas illas de genere substantiæ, quas assistentes appellamus, in materia esse posse, velut in vase, illam non perficientes, non gubernantes, nihilque omnino illi exhibentes per effatu dignam temporis differentiam, aperte nobis nautæ demonstrant; qui sunt formæ naui *b* assistentes; nauta siquidem in naui domiens, in ea vt vase ac loco continetur, nihil illi communicans; qui expergefactus se se naui eidem exhibere consueuit in formam gubernantem, mouentemque nauigium. Quin etiam nauta vigilans, in nauigio inepto est vt in vase; quia illud ad actum nauigandi promouere nequit, nec illi assistere in formam propriam. Immo vero & in apta naui de salo in solum transducta vigilans nauta inest vt in vase, nihil nauigio præstans, quod ei conferat ad munus nauigandi. Sic igitur & forma substantialis assistens, in propria materia inesse aliquandiu potest vt in vase; ac postmodum illi se se in formam actuantem exhibere. Quod nunc ea quoque ratione confirmamus, quoniam Aristoteles

a *2. de sp. viu. ort. cap. 31.*
b *2. de an. t. 11. 8. phys. t. 28.*

æuo

æuo ſuo nouit Idolorum ſtatuas oracula & reſponſa dare; qua de re pul- RŌ
c 3. *hiſt. cap. 20.* chram *c* alicubi refert hiſtoriam inquiens, *Nam & in Lemno inſula ca-* 9
pro ex mammis, quas geminas iuxta genitale gerit, tantum lactis emulgebatur,
vt coloſtra inde conficerent: quod idem etiam proli maſculæ capri illius eueniſſe
accepimus: ſed hæc oſtentis annumeranda potius ducunt: nam et Lemnio illi pe-
coris domino conſulenti Deus amplius incrementum peculij futurum reſpondit.
Dæmon igitur ille, qui talia reſponſa dabat, erat in ſtatua velut in vaſe,
ac loco, nihil illi tribuens; & quum huiuſmodi Dæmon fuerit Ariſtotelis
decreto forma aſſiſtens; iam formæ aſſiſtenti conuenit eſſe in materia ve-
lut in vaſe, cui nihil tribuat: ad differentiam Intelligentiarum, quæ cælo
d 2. *cæl. t. 13.* aſſiſtentes, illud animant & viuificant, decreto *d* Ariſtotelico.

Formam totius appellatam eſſe poſſe in ſua materia, vt in vaſe, nil illi præſtantem. Cap. *VIIII.*

a 2. *De ſpont. vi. or. cap. 32.* CÆterum *a* & forma ſubſtantialis illa proprie dicta, quam formam
totius appellare conſueuimus, in propria materia, velut in vaſe, diutu-
le permanere poteſt, nihil illi conferens; quod præclare docuit nos Ariſto-
b 1. *De gen. t. 28.* teles *b* alicubi, aſſerens terminum, a quo incipit motus augmenti, ſeu id, ex
quo corpus viuens augetur, non eſſe illud potentia corpus & magnitudo,
actu vero incorporeum & ſine magnitudine, quod ita exiſtit in corpore RŌ
quanto, vt non ſit aliquid illius, neque ſecundum ſe, neque ſecundum acci- 10
dens; ſed in eo, vt in vaſe contineatur: id vero actu incorporeum & poten-
tia magnitudo, nihil eſt aliud quam ſubſtantia compoſita ex materia &
forma, non quidem prout in primo naturæ momento præcedit quanti-
tatem & reliqua omnia accidentia; ſed quatenus in ſecundo inſtanti natu-
ræ ſubdita eſt ipſi quantitati, & illa vndique circumdata: cuius tamen
quantitatis ea ſubſtantia non eſt aliquid, neque ſecundum ſe, hoc eſt, neq;
pars, neque attributum eſſentiale; neque ſecundum accidens: quum viciſ-
ſim quantitas illa ſit accidens tali ſubſtantiæ: iſta etenim ſubſtantia in du-
plici ſtatu conſiderari poteſt, nimirum & in prioritate naturæ, qua præcedit
cuncta penitus accidentia, proindeque ſeparata eſt ab omni corpore quan-
to; & in ſecundo inſtanti naturæ, in quo ſubiecta quantitati, ab ea ſepara-
tur ſola eſſentia & entitate. Sed hæc fuſius in Commentarijs ad eum lo-
cum nobis explicantur: ſat eſt nunc obſeruare, ab Ariſtotele conſtitui, hu-
iuſmodi ſubſtantiam, quæ forma totius appellatur, in quantitate reſidere
c 1. *De gen. t. 28.* velut in vaſe, perſpicuis hiſce verbis, *c Sed ſi in aliquo inerit; ſi quidem ſepara-*
tum ita, vt aut non illius ſecundum ſe, aut ſecundum accidens aliquid ſit; contin-
gent multa, & impoſſibilia: Dico autem vt ſi generatur aer ex aqua, non aqua erit
tranſmutata; ſed proptèrea quod vt in vaſe aqua ineſt, materia eius. Negat qui-
dem Ariſtoteles hic aerem ex aqua fieri, quia in aqua præexiſteret aer vt in
vaſe; at vero ſupponit ſubſtantialem formam totius appellatam in ſua ma-
tèria, & ſubſtantiam in quantitate velut in vaſe reperiri poſſe, ab ea ita eſ-
ſentia ſeparatā, vt nihil illius ſit, neque per ſe, neque per accidens; atque
adeo non ſit eius actus; quum Ariſtoteles animam aliquid eſſe ipſius cor-

poris

poris *d* aliquando colligat ex eo quod prius *e* constituerat, ac *f* demonstrauerat eam esse actum primum corporis. d 2.*de an.* *t.* 26. e 2.*de an.* *t.* 25. f 2.*de an.* *t.*6. 7.

Formam substantialem informantem in materia esse valere, velut in vase, cui nihil tribuat. Cap. X.

VLterius *a* autem, formam etiam informantem, quæ forma partis appellatur, in substrata sibi materia contineri posse velut in vase, cui nihil omnino conferat, neque per se, neque per accidens, per aliquod temporis interuallum, id aperte conuincit, quod in nutricatu, & in augmento, a 2. *de sp. viu. ort. cap.* 33.

RO 11 vbi alimentum vltimum probe digestum applicatum fuerit vndique, agglutinatumque parti nutriendæ, sed nondum in partis illius substantiam transmutatum; tunc vere anima & forma illius partis in eo nutrimento inest vt in vase, nihil adhuc ad ipsum pertinens, neque per se, neque per accidens: mox tamen se se illi nutrimento cõmunicatura est in formam & animam, dum scilicet alimentum in alendæ augendæque partis substantiã transmutabitur. Atque hoc est, quod *b* Aristoteles ait, augmentum fieri secundum formam, non autem secundum materiam eius, quod augetur. Huc ea quoque pertinere videntur, quæ sanxit *c* alibi Præceptor admirandus asserens, *At vero Solis calor, & animalium, non modo qui in semine continetur; verum etiam si quid excrementi sit, quamquam diuersum a natura, tamen id quoque principium habet vitale.* Si ergo excrementum animalium, & omnino cadauer, quod est materia proxima viuentium sponte nascentium, habet in se principium vitale; quod non potest esse nisi anima, quæ *d* sola est principium vitæ: & tamen id principium est diuersum a natura illius excrementi; ac proinde in eo non inest vt forma; quæ est rei cuiusque *e* natura: iam plane constat eiuscemodi animam in eo excremento inesse velut in vase, nihil illi tribuentem, nihil ad ipsum penitus attinentem. Ad hoc theorema confirmandum ea quoque maximopere conferunt, quæ decreuit alibi *f* Magister priuationem posse aliquando post corruptionem præcedentis compositi, & generationem noui, in hoc ipso permanere, adeo vt genitum constitui dicatur per accidens ex priua-

b 1. *De gen. t.*35. c 2. *De gen. an. cap.*3.

RO 12

d 2.*de an* *t.* 36. e 2.*Phys.* *t.*12. f 1.*Phys.* *t.* 66.

RO 13 tione: siquidem in genito priuatio pristina remanens, in eo non permanet vt forma; quum sit illius formæ opposita; quare in illo inerit nihil ad ipsum attinens, velut in vase. Neque vero priuatio in re genita permanere dicetur, vt dispositio materiam preparans ac determinans formæ retinendæ: quia dispositio huiusmodi per se inest in propria materia; quum Aristoteli priuatio remaneat per *g* per accidens aliquando in re genita: Quum ergo priuatio reipsa sit forma præcedens, vel *h* Aristoteleo decreto; & forma præcedens, vt *i* alibi probauimus ex Aristotele, nonnunquam compatiatur in eadem materia subsequentem, ad quam est subordinata; vt in *k* numeris præcedentes se habent ad postremam vnitatem: plane patet, formam substantialem informantem, in substrata sibi materia contineri posse velut in vase, nihil illi penitus exhibentem.

g 1.*Phys.* *t.*66. h 1.*Phys.* *t.* 50. 56 64.68.*et* 2.*Phys.t.* 15. i 1.*de ort. an.ca.*34 3.*de ort. an.ca* 20 k 8. *Meta.t.*10.

Ratio-

Rationalem animam & Intelligentiam in corpore contineri, posse vt in vase, ipsum non actuando. Cap. XI.

a 2. *de spõt. viu. ort. cap.* 34.
b *lib.* 2. *cap.* 199. 200. *lib.* 3. *ca.* 88. & *lib.* 4. *ca.* 65.

ADdimus etiam in *a* ecstasi rationalem animam, & alias inferiores animæ humanæ partes nullum ferme corpori subiacenti adiumentum afferentes (quod alibi latius ostendimus in opere *b* De his qui diu sine alimento viuunt) non a corpore alienari reipsa, sed in corpore quasi vt in vase contineri, formæ naturam quodammodo exutas. Ita sane apud viros etiam sapientiores vetusta inualuit opinio, in hominum interitu, eorum potissime, qui rationi minime paruerunt, quique violenta morte diem obierunt, animas rationales corpora sic non deserere, vt in sepulchris vna cum cinere, atque cadauere, ossibusue vniuscuiusque anima Fati cuiusdam lege non conquiesceret. Id habemus ex Ammonio, qui suo in commentario ad Porphyrij Prędicabilia tractans de illa Philosophiæ definitione, qua dicitur esse Meditatio mortis, asserit. *Quemadmodum in meditatione Philosophi anima etsi a corpore seiungitur, tamen corpus ab anima non separatur; quum viuat: ita in obitu corpus etsi ab anima dissociatur; anima tamen suum corpus non omnino deserit; ita namque corporum amatrices sunt animæ; vt post mortem tamen adhuc eodem amore teneantur; atque ob eam caussam fieri autumant, quæ circa mortuorum tumulos videri solent, vmbrarum apparitiones.*

c *Lib.* 2. Porphyrius etiam idem agens de *c* sacrificijs prauam & irrationalem animam, quæ corpus suum violentia reliquit, expoliatam corpore, ad hoc ipsum deinde se admouere monet, ibique moras protrahere. Quin in opere

d *Lib.* 2. De *d* Abstinentia ab esu carnium ait, *Philosophus animum a corpore per violentiam non extrudet,* interficiendo vllum animal; *nam si vim intulerit, nihilominus permanebit ibidem, vnde sic exire compulerit.* Multo prius in Phœdone Plato scripserat, impuras animas circa sepulcra versari, & videri. Sed

e *Enn.* 1. *lib.* 9. hac de re omnium euidentissime *e* Plotinus, *Quid ergo,* inquit, *si quis det operam vt corpus dissoluatur ab anima? Verum sic vim inferret; neque corpus tunc dimitteret animam;* quia scilicet retineret eam, vt vas, & locus, *sed ipsum anima destitueret;* quia illud ipsa non viuificaret animaretque.

f 1. *in somn. scip. c.* 13
g 1. *Tuscul.*

Sed & eamdem sententiam *f* Macrobius habuit asserens, *exitu* animæ *coacto a corpore, animam circa corpus magis magisque vinciri: Et reuera ideo sic extortæ animæ diu circa corpus, eiusue sepulturam, vel locum, in quo iniecta manus est, peruagantur.* His, ne multos alios referam, demum & *g* Cicero subscribere videtur inquiens, *Hæsit in vetustiorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem, atque delentem; sed quamdam quasi migrationem, commutationemque vitæ; in claris viris, & feminis dux in cœlum soleret esse; in ceteris humi retineretur, & permaneret tamen.* Quæ licet non omni ex parte

h *Disq. mag. to.* 1. *lib.* 2. *qu.* 26. *sect.* 2.

vera sint; illud tamen verum esse profitemur cum *h* Delrio, & alijs pijs doctisque viris; rationales defunctorum animas posse in corpore aliquo velut in vase per aliquod temporis interuallum contineri, absque eo quod corpus illud animent atque viuificent: sic dubio procul apparentes viuentibus mortuorum animæ in corpore sibi assumpto sunt velut in vase, siue

corpus

corpus aereum sibi assumpserint; siue cadauer aut proprium, aut etiam
alienum: Sic & occulto præpotentis Dei iudicio defuncti animam posse
habere locum peculiaris sui purgatorij proprium cadauer, in quo, citra
eius viuificationem, velut in vase, ac loco, seu etiam carcere ad statutum
tempus contineatur, vnanimes decernunt sacræ Theologiæ doctores:
Rō Apud quos Diuus *i* Thomas his consentanea scribit, decernens Angelos — i *1. part.*
15 interdum assumere sibi corpora, vt possint cum hominibus conuersari; sed — *qu. 51.*
corporibus assumptis vitam non impertire, nec operationes proprie vita- — *ar. 2. 3.*
les; adeoque illis corporibus non copulari vt formas, sed in ijs esse velut in
vase. Sic ergo rationalis anima, & ea præstantior Intelligentia potest esse
in corpore velut in vase, ipsum non viuificans, nihilq; ad ipsum pertinens.

Animam vegetalem, & sentientem contineri posse in corpore, vt in vase, ipsum non viuificantes, ex rei natura demonstratur. Cap. XII.

SI & † rationali animæ, subcælestium formarum omnium perfectissi- — † *2. de sp.*
me, quin & Angelicæ menti ea quoque perfectiori; & formis alijs om- — *viu. ort.*
nibus inferioris ordinis tum accidentalibus, tum analogice dictis, tum as- — *cap. 35.*
sistentibus, tum informantibus, tum partialibus appellatis, tum etiam
totalibus, minime repugnat, sed plerumque conuenit in corpore sibi sub-
strato inesse, velut in vase; nullamque perfectionem essentialem ipsi exhi-
bere: quid ni dicamus animas vegetales, & sensitrices itidem posse in cor-
pore subiecto aliquandiu esse, velut in vase, ipsum non animantes? Sed
& hoc idem validiori ratione comprobare possumus, eo quia certum est in
ortu viuentis Naturam eum ordinem seruare, vt primo materiam dispo-
nat, dispositæ dein animam conciliet, deinceps alio instanti naturæ anima
in corpore suscepta in eo maneat, vlterius manens in eo ipsum viuificet, ac
postremo viuificatum ad vitæ functiones obeundas promoueat. Qua ratio-
ne profecto contingere potest, vt anima corpus a se viuificatum non statim
ad vitæ operationes edendas attollat: sed in eo sine opere diu moretur, vt
Rō actus primus a secundo seiunctus (quod etiam in viuente ac perfecto ani-
16 mali contingere posse monet *a* Aristoteles) quod & in ouis, plantarum- — a *2. de an.*
que seminibus, & in conceptu animalium euenit, vt fuse dudum ostendi- — *t. 5.*
mus in opere nostro *b* De his qui diu sine alimento viuunt: eadem peni- — b *lib. 3.*
tus ratione contingere non dubitamus vt anima in corpore aliquandiu ma — *cap. 5. 6.*
nere valeat antequam ipsum viuificet; nimirum vt nihil prohibere valet — *17. et*
quin anima primum indita corpori in ea prioritate naturæ, qua existentia — *seqq.*
animæ in corpore præcedit ipsam corporis ab anima viuificationem (vi-
uificatio corporis enim est quædam animæ functio; functio vero quælibet
præsupponit necessario præexistere id cuius est functio; quia non entis nul-
la est operatio) non momento solum, sed temporis aliquo permaneat in-
teruallo: ita nihil impediet vt in morte viuentis, in qua primum anima
cessat a vitæ operationibus, deinde ab actuatione viuificationeque corpo-
ris, deinceps ab existentia in corpore, post intermissas vitæ functiones, &
corporis viuificationem, aliquandiu in eodem corpore maneat, velut in

vase, nihil illi tribuens. Quin & in morte animalis vt plerumque contin- RŌ
git non simul cum vitæ functionibus vitam aboleri, sed prius obliterari 17
cunctas vitæ operationes, deinde viuens interire; in medio tempore sæpe
non exiguo anima solummodo viuificante subditum sibi corpus, sed in eo
nullam penitus actionem vitæ obeunte: sic etiam euenit, vt vbi desierit
anima corpori vitam communicare, post mortem in cadauere diutule ma-
neat, velut in vase. Cuius rei alia quoque ratio physica & aperta est ea, RŌ
quia corpori subcælesti anima vnitur mediante calore; quo etiam velut in- 18
strumento vtitur ad omnia vitæ munia obeunda; quod nos non *c* vno in
loco docuit Aristoteles: cui quum præstantior anima pluris *d* caloris in-
digeat in subdito sibi corpore; quumque, reclamante nemine, præstan-
tius sit ab anima corpori vitam, & vitæ functiones simul exhiberi, quam
sine functionibus vitam ociosam; nobiliusque sit animam in corpore ines-
se illud viuificantem, quam in eo esse vt in vase, nihil illi tribuentem: pro-
fecto quando calor in animantis morte sensim contabescit; necessarium est
animam prius vitæ functiones intermittere, corporique solum vitam ex-
hibere ad tempus aliquod; deinde vlterius fatiscente calore, ab anima
corpori non amplius vitam conciliari; sed animam in eo feriantem peni-
tus, vt in vase, aliquantisper immorari, ac remanere; scilicet cum imbe-
cillo calore ad certum gradum; quem vbi exuat calor, & anima necessa-
rio desinat esse in corpore; fatiscens quidem, si corruptibilis extiterit; se-
parata permanens autem, si fuerit incorruptibilis.

c de mort. & vit. cap. 2. 2. de part. cap. 7.
d de re-spir. cap. 9. 13.

Formam, & animam, a qua vt ab efficiente vniuoco proxime generantur animantia spontenascentia, præexistere in eorum materia, seu in cadauere, vt in vase, nihil ad eam conferendo, colligitur ex rei natura, et ex illustri loco Aristotelis. Cap. XIII.

QVamuis autem *a* efficiens vniuocum, a quo proxime fiunt animan-
tia sponte nascentia, sit forma, & anima; existatque in eorum ma-
teria; non tamen in ea inest, vt forma in materia, eam perficiens; nec vt
anima in corpore, ipsum viuificans; sed nihil subditæ materiei præstans,
nihilque ad illam attinens, in ea inest vt in loco & vase, ac ex necessitate
materiæ: quod licet sensui respondere non videatur; & consensui, consue-
tudinique philosophandi repugnare; & quamuis maioris longe sit ingenij,
reuocare mentem a sensibus, & cogitationem ab consuetudine abducere,
quam mihi fortasse contigerit; conabor tamen, præter allatas olim ratio-
nes, proposito dogmati alias ex rei natura, & ex Aristotele nunc adhibere.
In primis enim materia, ex qua proxime gignuntur viuentia sponte na- RŌ
scentia, est purum putumque cadauer; vt late *b* pridem ostensum fuit: 19
sed in cadauere anima non inest vt forma in materia, illi tribuens esse vi-
uens & animatum; verum in eo esse potest vt in vase, ex necessitate mate-
riæ; quod & nuper vidimus, & mox apparebit: ergo forma, & anima, a
qua velut ab efficiente vniuoco proxime fiunt viuentia sponte nascentia,
præexistit in eorum materia, quæ cadauer est, vt in vase, nihil illi tribuens.

a 2. de sp. viu. ort. cap. 36.
b 2. de spont. viu. ort. cap. 14. 15.

Deinde

Rō Deinde vero quum vnumquodque fiat ex suo contrario, apud *c* Aristote-
20 lem; scilicet ex materia priuata propria forma; atque adeo viuens ex non
viuente necessario fiat, velut ex materia; quum id, in quo anima est vt
forma, siue informans, siue assistens, ab ea necessario constituatur in esse
viuentis; procul dubio anima, quæ proxime procreatura viuens sponte
gignendum sibi vniuocum in illius materia præexistere ostensa est, in ea
esse non potest sub ratione formæ, & animæ; sed in ea est vt in vase, ac om-
Rō nino vt quid nihil ad eam pertinens. Deinceps autem quum inter viuen-
21 tia cuncta imperfectissima sint, quæ sponte nascuntur; perfectioribus ani-
mantibus omnibus interuentu seminis orientibus; naturæ ordo postulat, si,
quæ semine fiunt, ex eo ceu ex materiali principio nascuntur, non quate-
nus est animatum, sed quatenus est mistum, cui accidit esse animatum;
anima solum illi subministrante vim effectiui principij (est enim semen
varia ratione generationis non spontaneæ simul & *d* efficiens & *e* ma-
teriale principium Aristoteli; vt fuse demonstratum a nobis est in opere
f De ortu animæ humanæ, atque in libro *g* De perfecta constitutione
hominis in vtero) rationi consentaneum est materiam viuentium sponte
nascentium procreatricem eorum animam minus participare; hoc autem
fieri non potest nisi anima viuentia spontenascentia generans, in eorum
materia sit nihil ad eam pertinens, neque per se, neque per accidens, sed
vt in vase; quippe anima perfectiora viuentia non sponte nascentia pro-
creans, in eorum materia esse potest vt forma, sed per *h* accidens; quum
in eorum efficiente sit per se. Quod autem, quæ in aliquo sunt vt in vase,
dicantur ab eo ita separata essentialiter, vt nihil eius sint, nec secundum
se, nec secundum accidens, perspicue nos alicubi docuit *i* Arist. Præterea
Rō vero, ex eo quod anima in viuente est id, quo *k* primo est, & operatur,
22 colligit *l* Arist. animam esse in corpore tamquam aliquid ipsius corporis:
ita sane ab opposito, ex eo quod anima in cadauere (quod ostendimus
m olim esse materiam viuentis sponte gignendi) non est id, quo cadauer
viuit, & operatur, colligere necessario debemus animam in eo corpore in-
esse, tamquam nihil ipsius, ast vt in vase. Immo vero nisi Aristoteles sup-
posuisset animam esse posse in corpore aliquo tamquam nihil ipsius, sed vt
in vase; profecto quum *n* ostendisset animam, qua primo viuimus, & ope-
ramur, esse non corpus, nec sine corpore, sed in corpore; frustra eam ad-
didisset esse aliquid corporis ipsius, nimirum actum primum, & perfectio-
nem essentialem. Insuper Aristoteles *o* alibi constituit apertissime for-
mas & animas esse in materia vt in vase & loco, nihil illi tribuentes, dum
agens de generatione viuentium spontenascentium, ita scribit, *Quæ autē
vel sobolem nullam procreant, vel non fauant, eorum omnium ortus spontinus est:
Omnia vero, quæ hoc modo consistunt, aut in terra, aut in aqua cum putredine gi-
gni visuntur, & imbre admisso: quum enim dulce in principium constituendum se-
cernitur, quod superest talem accipit formam: nihil autem gignitur putrescens,
sed concoctum: putredo vero, & putridum excrementum rei concoctæ est: nihil e-
nim ex toto efficitur; quomodo neque in ijs, quæ ab arte conduntur; nam nisi ita es-
set, facere non requireretur; sed quantum inutile est, id aut a natura, aut ab arte*

F 2 *detrahi-*

c *1. phys. t. 43. et seqq.*
d *2. Phys. t. 28.*
e *1. phys. t. 62.*
f *lib. 1. cap. 54. 55. lib. 2. cap. 5. et seqq.*
g *cap. 4. 5. 6. 15. & seqq.*
h *1. phys. t. 76.*
i *2. de gen. t. 28.*
k *2. de an. t. 24.*
l *2. de an. t. 26.*
m *2. de spon. viu. ort. cap. 14. 15.*
n *2. de an. t. 24. 26.*
o *3. de gen. an. cap. 11.*

detrahitur: Generantur autem in terra, humoreque animalia & plantæ, (nimirum ortu spontaneo) *quoniam humor in terra, spiritus in humore, calor animalis in vniuerso inest, ita vt quodammodo plena sint animæ omnia: Quamobrem consistunt celeriter, quum calor ille comprehensus siue exceptus est; comprehenditur autem, & humoribus corporeis incalescentibus efficitur veluti bulla spumosa: sed differentia nobilioris ignobiliorisue generis constituendi in comprehensione principij animalis est.* Quem locum fusius p alibi explicatum, nunc in ea tantum parte spectamus, qua scribit Aristoteles, Animas, a quibus immediate, ceu ab efficiente vniuoco procreantur animantia sponte nascentia, sic esse in materia spontaneę generationis vbique locorum dispersa, vt quodammodo corpora omnia in terra, & in aquis existentia, ex quibus velut ex materiali principio gignuntur quæcumque sponte nascuntur, sint animarum plena: ceterum ea corpora in aquis & in terra vbique contenta, ex quibus passim ortu spontaneo plantæ gignuntur & animalia, dici non debent animarum plena, nisi in ijs anima insit velut in vase ac vt in loco, illa non viuificans; tum quia ea corpora non viuunt; tum quia plenum esse proprium est loci, & vasis, & continentis corporis: Alioquin in quo forma est & anima, vt actus in sua materia, id non dicitur esse plenum formæ, nec animæ; siquidē forma & anima ex q Aristotelis decreto potius continet materiam corporalem, quam ab ea contineatur. Ceterum efficiens proxime generans animantia spontenascentia nihil esse aliud, quam animam eiusdem naturæ cum ea, qua constituuntur in esse viuentia sponte nata, non viuificantem, nec actuantem vllo modo subiectum, in quo inest; sed latitantem, vt in vase, in cadauere illo, ex quo animata hæc nostra sponte generantur, confirmat nobis euidenter Aristoteles in Metaphysicis: Quem locum in proposito nostro illustrissimum, operæ pretium duximus huc afferre, ac explicare; inquit ergo Præceptor admirandus in hanc sententiam, r *Deinde quod quælibet substantia ab vniuoco fit: Quæ enim natura, substantiæ sunt, & alia: aut enim natura, aut fortuna,* aut casu, *aut sponte fiunt: Ars igitur principium in alio; natura vero principium in ipso; homo namque hominem generat: Cæteræ vero caussæ priuationes harum sunt.* In quo quidem textu cuilibet in primis apertum est, Aristotelem demonstrare maximum illud opinionis nostræ in hoc opere firmandæ fundamentum, nempe Quamcumque substantiam generabilem fieri ab agente vniuoco, & eiusdem naturæ cum re producenda. Texit autem Philosophus argumentum a sufficienti enumeratione vocatum, vel si placet etiam de genere scientificæ inductionis; quod ita construendum esse innuit, Omnis substantia generabilis vel a natura fit, vel ab alia caussa, quæ naturæ imitatrix ars appellatur; sed quælibet substantia, quæ a natura, vel ab arte quouis modo genita sit, necessario producta est ab agente vniuoco; igitur substantia quælibet ortui obnoxia sit absolute ab vniuoco efficiente. Minorem propositionem primo loco positam, in textu probat Aristoteles eo quia omnis substantia generabilis necessario fit vel a natura bene se habente; vel ab arte itidem perfecta; vel a fortuna, quæ nihil est aliud quam ars impedita; vt fuse nos docuit s Aristoteles alibi statuens fortunam habere locum in ijs tantummodo, quæ

Marginal notes: p 2. de spon. viu. ort. cap. 11. et 15. — q 3. phys. t. 67. 4. phys. t. 35. 4. cæl. t. 35. 1. de an. t. 92. 2. de an. t. 39. — r 12. meta. t. 13. — s 2. phys. t. 49. & seqq.

Right margin (manuscript): RÕ 23

per electionem fiunt ab humano intellectu impedito ne propositum in ea
functione sibi finem ad amussim assequatur; est autem intellectus ex ele-
ctione agens, *t* substantias generans, solus intellectus artificis, domum, t *1. phys. t. 63.*
nauem, statuam, aliudue quidpiam tale facientis; vel demum substantia fit
sponte; quod enim alij vulgo vertunt *casu*, nos maluimus traducere *spon-
te*; siquidem suo idiomate scripsit *u* Aristoteles ἢ τῷ αὐτομάτῳ, quod u *12. meta. t. 13.*
aptius interpretamur, *aut sponte*, quam, *aut casu*: Nisi etiam dicamus
hoc eodem termino ab Aristotele significari quæ in genere substantiæ
tum casu, tum sponte fiunt; vt quæ casu fiunt, sint quæcumque generan-
tur a natura impedita ob externum aliquod obstaculum sibi accidentale;
que vero sponte gignuntur, sint quæ oriuntur a natura intrinsecus enerua-
ta, & essentialiter labefactata; ita vt vere quælibet substantia generabilis
necessario fiat vel a natura bene valente; vel ab arte perfecta; vel ab arte
impedita, quæ fortuna dicitur; vel a natura extrinsecus impedita, quæ
x casu gigni constituitur; vel demum a natura intrinsecus eneruata, & es- x *2. phys. t. 57. & seqq.*
sentialiter labefactata; quæ substantia sponte produci asseueratur: nec præ-
ter ista quinque aliud reperias efficiens proximum vllius productiuum
nouæ substantiæ: Quum autem quinque omnia hæc efficientia redigan-
tur ad sola duo, quæ sunt ars, & natura; iam constat vnicuique, omnem
substantiam generabilem necessario fieri vel ab arte, vel a natura. Maio-
rem vero propositionem præcipui argumenti confirmat *y* Aristoteles in y *12. meta. 13.*
textu mox duplici ratione; quarum prima respicit substantias ortas a natu-
ra, & ab arte, bene se habentibus; & hoc modo contexitur; quia in pro-
ductione substantiæ non dissidet ars a natura nisi in eo, quod ars est prin-
cipium existens in alio subiecto; nempe diuersæ naturæ, ac speciei ab eo
supposito, quod ab arte gignitur; ars enim omnis est habitus *z* intelle- z *6. Ethi. cap. 3. 4. 2. post. t. 114.*
ctus humani residens in mente artificis; at vero natura est principium exi-
stens in supposito *a* eiusdem speciei cum eo, quod a natura procreatur;
siquidem homo hominem generat in eadem specie contentum, & anima
hominis generantis est in subiecto eiusdem naturæ ac speciei cum illo, in a *2. de an. t. 34. 42. 1. magn. mor. cap. 10.*
quo est anima hominis, qui generatur: ergo quum pateat, quæ natura
fiunt, ab vniuoco agente fieri; necessario colligendum est, etiam quæ ab
arte producuntur, ab agente vniuoco procreari, licet existente in supposi-
to, ac subiecto diuersæ naturæ; vt domus efficitur ab idea domus existen-
te in artificis intellectu, illumque dirigente, gubernanteque in domus ex-
terioris constitutione: idea vero illa, quæ ars est effectiua domus, vniuo-
ca est domui exteriori; quia domus est substantia ratione materiæ, con-
stans forma accidentali; quæ est figura, & proportio partium domus: ars
item est substantia ratione materiæ, quæ est *b* intellectus humanus; habet- b *2. de an. t. 24.*
que ars pro sui forma ideam operis faciundi; vt domus; quæ idea pariter
est accidens, ac figura, & proportio partium domus ad inuicem, & ad to-
tum ædificium; sed forma domus est in materia corporea lapidum, ac ce-
mentorum; at forma artis, seu idea domus est in animo artificis incorporeo
& immateriali: Quod enim vulgo explicatur discrimen positum inter ar-
tem, & naturam, quasi natura sit principium operatiuum in eo, in quo

est

est; ars vero sit principium operatiuum in alio supposito, non recipitur hoc in loco; nam dum homo generat hominem, homo generans in alium agit, non in seipsum; & anima hominis generantis non agit in materiam, in qua est; sed in aliam, quæ *c* semen dicitur, ac *d* menstruum: Verum Aristotelis sensus est, quod ars producens substantiam, sit principium existens in materia alia secundum speciem ab ea, in qua est forma rei arte factæ, cui vniuoca dicitur; nam ars construendæ domus est idea domus in animo artificis; domus autem arte facta est eadem forma in lapidibus & lignis; quum natura substantiam procreans sit principium existens in supposito eiusdem speciei; anima enim hominis generantis in homine est eiusdem speciei cum generato; & in corpore humano eiusdem naturæ cum corpore hominis, qui generatur; nam homo hominem generat: domum vero non efficit alia domus materialis; ast ædificator in mente sua gerens ideam & formam domus efficiendæ. Sed iam redeamus ad pensum. Ita ergo substantiæ omnes, quæ a natura perfecta, & ab arte non impedita producuntur, necessario ab agente vniuoco efficiuntur. Secunda vero ratio respicit substantias, quæ fiunt ab arte impedita, & a natura cum extrinsecus impedita, tum etiam intrinsecus labefactata; & continetur in illis verbis Aristoteleis, *ceteræ vero caussæ priuationes horum sunt.* Quæ prius diligenter explicanda sunt, mox demum in argumentum contexenda: Quum itaque nuper ostendisset Aristoteles naturam bene se habentem, & artem perfectam esse caussas vniuocas earum substantiarum, quas efficiunt; nunc ostendit naturam tum extrinsecus impeditam (quam supra nomine Casus appellauerat) tum intrinsecus labefactatam; & artem etiam impeditam, quam Fortunam dixerat, esse pariter caussas vniuocas earum substantiarum, quas procreant; dum asserit caussas ceteras, quæ distinctæ sunt a natura, & ab arte bene se habentibus, esse priuationes horum principiorum generantium, quæ dicta sunt Ars, & Natura simpliciter: Ac porro fortuna efficiens substantias, eo nomine est priuatio artis, quo est ars impedita; impedimentum enim artis priuat artem perfectione sua, & intento fine; quo circa monstra & peccata fiunt ab arte impedita, siue a fortuna; quæ monstra & peccata sunt priuationes artificiosorum bene se habentium; ac proinde proportione respondentes fortunæ, a qua efficiuntur, necessario fiunt a caussa sibi vniuoca; nam vt ars vniuoca est rei artificiosæ, ita priuatio artis vniuoca est priuationi rei artificiosæ; siue vt ars bene habens vniuoca est rei artificiosæ perfectæ, sic ars impedita vniuoca est rei artificiosæ imperfectæ. Consimiliter Casus est priuatio naturæ, quum sit naturalis caussa impedita quoquo pacto; impedimentum enim etiam naturam priuat perfectione sua, & optato fine; quamobrem peccata, & portenta, monstrosaque ostenta nuncupata generat Casus in natura; quæ sunt priuationes rerum naturalium bene se habentium; ac proinde fiunt a caussa eiusdem rationis, & sibi vniuoca. Nec aliter sane sponte generans est priuatio naturæ viuentis, quia est anima labefactata, non habens rationem formæ actuantis, perficientisque id, in quo est; sed priuationis; quum talis

c 1. Phys. t. 62.
d 2. de gen. an. cap. 3.

lis eneruatio priuet animam perfectione sua pristina, quæ erat viuificare
ac perficere subditum sibi corpus: Immo quum anima sentiens ac videns
Rō sit habitus in animali bene se habente; in cœco autem eadem ad organi sui
24 labefactationem eneruata degenerauerit in priuationem; ac omnino in
formam nihil subiacenti materiæ tribuentem; quid enim cæco tribuit ani-
ma visiua, facultasque visoria? dicat Sanctacrucius: ita plane, quæ supe-
rest post mortem animantis in cadauere, anima degenerauit in priuatio-
nem, a qua substratum corpus non amplius perficitur: Atque adeo ener-
uata hæc anima res imperfectas procreat sponte nascentes; quæ sunt perfe-
ctorum animantium quædam & ipsę priuationes; & propterea vniuocæ
suo generanti. Constat igitur ex his, non solum omnes substantias, & spe-
ciatim animata sponte nascentia fieri ab vniuoco efficiente; verum etiam
caussam effectricem proximā spontanei animantium ortus nihil esse aliud,
quam animam in cadauere latentem, vt in vase; subditumque sibi corpus,
ex quo generanda sunt viuentia ortu spontaneo nascentia, minime actuan-
tem, perficientemue: Secus enim hoc generans animantia sponte nascen-
tia non potuisset hic *e* ab Aristotele nuncupari caussa, quæ sit priuatio na- e 12. *me-*
turæ: si enim caussa est eorum, quæ sponte nascentia *ἀυτόματα* dicuntur; *ta.t.13.*
iam necessario est anima; quia res infra naturam animæ degens producere
non potest animatum, ac omnino animam, agens supra sui conditionem,
gignensq; rem seipsa præstantiorem: Ceterum anima perficiens & actuans
quomodocumque substratum sibi corpus, ea in viuente inest vt forma, &
natura ex *f* Aristotele; non vt naturæ priuatio: anima vero in corpore de- f 2. *Phys.*
gens vt priuatio naturæ, illud non perficit; nec enim visiua facultas in ani- *t. 12.*
ma cæci residens, seu ab illa fluens, eius oculos perficit: sed illa in cadauere 2. *de an.*
in est, vt in vase, nihil penitus illi conferens. Aristoteles ergo *g* nunc asse- *t.36.37.*
rens *ἀυτόματα*, hoc est animantia sponte nascentia fieri ab vniuoca illa g 12. *me-*
caussa, quæ est priuatio naturæ, satis aperte nos edocet, efficiens proxime *ta.t.13.*
generans viuentia spontaneam originem habentia, esse animam eiusdem
naturæ delitescentem, vt in vase, in cadauere, ex quo illa procreantur: Se-
cus etenim Aristoteles neque hic probasset quamlibet substantiam ab vni-
uoco efficiente fieri; quod placitum sibi probandum sumpserat ab initio
textus: neque Platonis rationem diluisset, qua ille potissimum ostendere
posse putabat Ideas esse ponendas; a quibus solis animantia sponte nascen-
tia gigni, & suas animas nancisci posse constituebat. Ita ergo satis vnicui-
que constare potest, ac vel Sanctacrucio rationes propositas, & Aristotelis
sententias intento animo pensitanti, agens vniuocum, a quo proxime gene-
rantur animantia sponte nascentia, esse animam in cadauere, velut in vase,
delitescentem, substrato sibi corpori nihil impertientem.

Vnde

Vnde, qualis, & quomodo cadaueri, ſeu materiei communicetur anima, quæ eſt efficiens vniuocum proxime generans viuentia ſponte naſcentia, in eorum materia, velut in vaſe deliteſcens.
Cap. XIIII.

VNde *a* autem, qualis, ex quomodo cadaueri, ac omnino materiæ proxime ſpontaneam viuentium generationem ſubituræ, talis anima materiam illam minime viuificans inſit, ex traditis apertum fieri poteſt rei naturam intime conſideranti. Porro ineſt huiuſmodi anima in materia illa, vt in vaſe, non aliunde quam a priſtino viuente; a quo eiuſmodi materia prodijt; prodijt autem eiuſmodi materies a priſtino viuente bifariam; vel per corruptionem, vel per excretionem: per corruptionem quidem, quia viuens, ſiue totum, ſiue quæpiam illius portio interitu mutetur in naturam cadaueris: per excretionem vero, quoniam e viuentis corpore tum alimentorum ſuperfluitates; tum etiam vapores ac fuligines, in quas a calore diſſoluitur aſſidue ſubſtantia ſolidarum partium, humoriſque primigenij, veluti viuenti noxam allaturæ, foras propelluntur, extraque corpus animantis protruduntur: Huic vero materiei a viuente, vnde promanat, anima eam non viuificans duplicis naturæ ineſſe poteſt; nimirum aut eadem ipſa, ſeu eiuſdem omnino ſpeciei, & conditionis cum anima priſtini viuentis; aut varia, & inferioris ordinis; nunquam autem perfectioris naturæ; quippe nihil agere poteſt vltra ſuas vires, ac vltra ſuæ naturæ gradum; ſed ſolum intra, vel citra; Vnde fit vt ſponte nata nunquam ſint digniora ijs viuentibus, ex quibus exoriuntur; plerumque viliora, nonnunquam etiam eiuſdem ſpeciei; vt latius *b* alibi commodiori loco probamus. Atuero modi, quibus a priſtino viuente materia cadaueris ſpontaneum animantis ortum ſubitura ſortitur animam non viuificantem, duo sunt ſoli; quorum unus eſt, quia dum moritur priſtinum uiuens, ſeu totum, ſeu aliqua pars eius, ad natiui lapſum caloris, cuius beneficio, & anima in corpore degit, & illud animat viuificans, & vitæ functiones obit; non ex toto calor ille aboletur, ſed tanta ex parte corrumpitur, vt non ſufficiat amplius animæ nec ad vitæ munia obeunda, nec ad vitam corpori conciliandam; remaneat nihilominus tantum caloris, quantum ſat eſt ad animam in corpore, velut in vaſe, continendam: Quo caſu quemadmodum plerumque contingit vt ſimul cum labefactatione caloris, & viuentis interitu, animæ vegetalis ſenſualiſque ſubſtantia illo calore nixa quamdam labem eſſentialem perpetiatur; qua in imperfectiorem naturam, & in animam viliorem, ceu triticum in *c* lolium & in *d* auenam, labefactata degeneret: ita ſane quandoque contingere poteſt, vt priſtinam ſpeciem conſeruans, vires tantummodo ſibi eneruatas experiatur, ſiue in totius cadauere integra permaneat, ſiue in expulſis a viuente recrementis portio priſtinæ animæ relinquatur ad partitionem ſubiecti diuiſæ; quæ conditio eſt vegetali ſentientique animæ communis apud *e* Ariſtotelem. Alter modus eſt, quia dum priſtinum viuens emoritur, & dum e viuentis corpore pel-

Rō 25

a *2. de ſpō. viu. ort. cap. 37.*

b *2. de ſpont. vi. ort. cap. 24. 50. 54*

c *Theoph. lib. 2. de hiſt. pl. cap. 5.*

d *l. 4. de cauſ. pl. cap. 6.*

e *1. de an. t. 93. 94. 2. de an. t. 20. de long. & br. vit. cap. vlt. de iuu. et ſen. cap. 1*

re pellitur excrementum, anima eius adhuc superstes in materiam proximam, nuper anima eadem destitutam, nouam procreet animam cum exiguo calore in primo instanti naturæ non adhuc subiectum sibi corpus viuificare valentem, quæ in eo procreetur vt in vase, nonnunquam prorsus eiusdem speciei cum anima generante; frequentissime vero viliorem imperfectioremq; tum ob imperfectionem materiæ, quæ tam perfectam animā recipere non potest; siquidem actus actiuorū fiunt non nisi in patiente bene disposito, *f* Aristot. adnotatione; ac omne quod recipitur, per modum f 2. *de an.* recipientis recipitur: tum ob infirmitatem, debilitatemq; animæ generan- *t.* 24. 26. tis; quæ in animātis pristini morte vel cadit, vel maximopere labefactatur, vt similem sibi gignere non possit, inferiorem se tamen adhuc procreare valeat: Ceterum ista procreatio animæ, aut remansio in materia, velut in vase, cui vitam non exhibet, non est viuentis generatio, nec spontanea, nec nō spontanea; quæ vtraq; definita est prima participatio animæ vt formæ, ac vt animæ viuificantis substratum sibi corpus: ista vero vel proprie non est participatio animæ; quia in materia velut in vase existens anima, in ea non inest vt pars essentialis animantis: vel non est participatio animæ vt animę; quia non participatur talis anima vt actus perficiens materiam sibi subia-

Rō 27 centem. Huc ea sane pertinent, quæ sanxit *g* Aristoteles alicubi statuens, g 1. *phys.* post corruptionem præcedentis compositi, & generationem subsequentis, *t.* 66. in hoc vna cum forma, saltem per accidens, permanere posse priuationem illi formæ oppositam, atque adeo formam præcedentem; quæ vel est ipsamet priuatio, vel id quo priuatio nititur: Quæ sane forma pristina in subsequenti genito haudquaquam remanet vt priuatio; nam priuatio per se *h* corrumpitur aduentu formæ sibi oppositæ: neq; in eo remanet vt forma; h 1. *Phys.* quia non constituit in esse vllum compositum; perijt enim quod ab ea *t.* 81. 82. prius constituebatur; varia namque composita eadem numero forma constituere non potest: Quare in materia nihil ad eam pertinens manet velut in vase, ac ex necessitate materiæ, vt dici consueuit. Ita ergo constat vnde, qualis, & quomodo in materia subitura spontaneam animantium generationem, vt in vase, insit anima; quæ futura est efficiens vniuocum viuentium sponte gignendorum.

a 2. *de spōt. viu. ort. cap.* 39.

Anima in corpore degens vt in vase, nil illi tribuens, colligitur ex traditis, & ex Aristotele. Cap. XV.

b 1. *de gen. t.* 30. 7. *meta. t.* 22. 28. 30.

Denique *a* vero nos habentes ab *b* Aristotele tum substantias nostrates omnes, ac speciatim viuētia cuncta, eaque sponte nascentia fieri proxime ab efficiente vniuoco: tum caussam effectricem immediatam, a qua viuētia spontaneo exortu procreantur, *c* latere in materia, ex qua ipsa eadem c 7. *meta. t.* 31.

Rō 28 spōte generari dicuntur: quando huiusmodi materiam *d* dudum agnouimus nihil esse aliud quam pristini viuentis cadauer; quumque certo sciamus quod vniuocum est, id esse debere consortis, seu potius eiusdem naturæ; iam constituendum putamus caussam effectricem proximam spontanei animantium ortus, a qua immediate constituuntur in esse, ac pro- d 2. *de spont. viu. ort. cap.* 14. 15.

xime generantur viuentia sponte, nascentia, nil aliud esse, nisi animam, quæ in cadauere permanet velut in loco & vase tamdiu, quamdiu in eo remanet ille gradus caloris, qui misto perfectiori congruus, vinculum est, quo absolute anima corpori coniungitur. Quum autem calor, qui vinculum est animam corpori nectens, triplicem obtineat differentiam penes sui vigorem; quam appellare libeat calorem viuidum, mediocrem, & imbecillum; propterea trifariam contingit animam in corpore inesse; nempe vel vt in loco & vase, nihil corpori tribuentem; vel vt formam in materia, eā quidem actuantem, & illi subiectæ vitam impertientem, sed non adhuc tamen operationes vitæ obeuntem; vel vt formam subiacenti corpori & vitam conciliantem, & in eo viuente vitæ functiones edentem. Sane quibus corporibus calor hic viuidus inest, ijs anima iungitur in actu & primo & secundo; & huiusmodi sunt viuentia cuncta dum vitæ functiones obeunt; aut ad libitum, seu immediate illas edere valent vel omnes, vel aliquas: Quibus autem corporibus calor hic inest non viuidus, sed mediocris; ijs anima copulatur otiosa, sine operationibus vitam solam concilians in actu primo; & huiusmodi sunt bruta pleraque, stirpiumque genera multa, quæ totam hiemem veluti mortua transigunt; calore illorum ab externa frigiditate ambientis adeo hebetato, vt potis quidem sit animā in corpore viuificantem vt formam retinere; sed illi ad vitæ functiones obeundas inseruire nequeat; quod nos docuit apertissime *e* Galenus, & nos late demonstrauimus in opere nostro De his qui diu viuunt sine alimento: Quibus demum corporibus calor hic nectens animam corpori debilis extiterit; in ijs plane anima inest nec in actu secundo vt forma operans, nec in actu primo forma solam vitam largiens absque operationibus, sed vt in loco, & vase: potis est quidem calor imbecillus animam in corpore detinere; sed illi ad vitam corpori conciliandam, aut ad vitæ functiones vllas obeundas inseruire minime potest; atque huiusmodi corpora sunt omnia cadauera, eorumque partes, quamdiu misti perfectissimi naturam non exuerint. Ceterum calor hic debilis aptus natus est in corpore vt in vase retinere animas solum materiales, vegetalem nimirum, ac sentientem; non autem rationalem; quoniam hæc immaterialis existens corpori non iungitur vllo modo nisi habenti vegetam, & sensitricem vt formam saltem viuificantem. & cetera dudum ibi a me prolata: quæ videre potuit Sanctacrucius, immo necessario vidit citans meam opinionem de formis materiæ subiacenti nihil impertientibus; quam non alibi sum professus. An hæc falsa sint, & sine Philosophiæ neruis, vt ait Sanctacrucius, iudicent ij, quicumque subsellia replent in Areopago Sapientiæ. Tenebatur hæc omnia soluere, quæ nos in placiti nostri confirmationem olim adduximus, & totidem argumentis, ac nostris validioribus oppositam suam opinionem communire Sanctacrucius, antequam in hanc censuram erumperet; secus enim nostris rationibus, quas partim ex Aristotelis, Platonis, Galeni, & aliorum Classicorum doctrina; partim ex rei natura, proindeque ex intimis Philosophiæ penetralibus deduximus, a Sanctacrucio non tactis, nedum non eneruatis; quomodo vere dicere potuit nostrum placitum esse falsum, & sine neruis Philosophiæ?

e 1. *aph. com.* 15.

RŌ 29

Per-

Peroratio. *Cap. XVI.*

NOstram igitur opinionem de formis in materia velut in loco existentibus, cui nullum actum exhibeant, nec primum, nec secundum; siue de anima subiecto corpori, in quo inest velut in vase, nihil omnino exhibente, nec per se, nec per accidens; deque primaria efficacitate, vita & anima seminis, tot ac tantis argumentis in opere De Spontaneo viuentium ortu, & alibi a me confirmatam, Sanctacrucius perperam falsitatis accusat, nudisque verbis irrito conatu eneruare conatur; falsoque nobis adscribit, quæ nunquam dicere cogitauimus. Quare nunc apud iustos iudices litterarios, quos a *a* Polybio nouisse scio, non prius accusationi fidem habendam esse; quam diligentissime omnia inquirantur, nihilque prætermittatur eorum, per quæ ad veri cognitionem perueniri valeat; non ab re spero meam sententiam De Anima subiecto corpori nihil omnino tribuente, deque Vita & primaria efficientia Seminis, veram, & neruosam; vicissimque Sanctacrucianam accusationem, falsam, & eneruem, vt puta ieiunis verbis, non rationibus vllis munitam, pronuntiatum iri.

a *lib. 4. cap. 85.*

Hæc breuiter ex tempore scribebat pro suorum dogmatum defensione Fortunius Licetus Genuensis, in Patauino Lyceo Physiologus Ordinarius, recens visa eorum accusatione; respondens ad Antonium Ponce Sanctacrucium, olim Primarium Vallisoletanum, nunc autem Catholici Regis Hispaniarum, & Indiarum Philippi Quarti a Cubiculo, & Protomedicum Generalem.

FINIS.

INDEX RERVM NOTABILIVM.


Calore

Fru-

Nauta

Semen

FINIS.


57

a = 005644073
b = 005644074

16